

## Luis del Alcázar, S.I.

*In Evangelium Joannis*  
(Sequitur)<sup>1</sup>

### Circa c.4

1. Incipit hoc caput a reditu Domini e Iudea in Galilaeam. Et Jansenius<sup>2</sup> hic multa egregie notat ut verisimile faciat hunc reditum esse eundem quem alii Evangelistae narrant factum esse post Joannis traditionem. Eandem sententiam sequitur Caietanus et D. Thomas<sup>3</sup> hic. Augustinus, 2 de consensu<sup>4</sup>, c.18; Tatianus in Harmonia<sup>5</sup> c.21 (et habetur 2º tomo Bibliothecae Sanctorum). Gerson<sup>6</sup> in Monotessaron c.22; Villalobos in Concordia c.7; Calixtus Placentinus in supputatione temporis Christi quae est ante eius homilias; Joannes Bos libro 2, c.ultimo; et plerique. Verum alii tum propter magnam diversitatem narrationis, tum etiam quia non inveniunt quomodo Joannes potuerit tam cito tradi, verisimilius existimant Baptistam fuisse traditum ad finem secundi anni praedicationis Christi, et caeteros Evangelistas solum narrare ea quae facta sunt anno tertio atque adeo reditum hunc in Galilaeam quem noster Joannes narrat, esse alium et valde anteriorem. Ita Renhardus in harmonia Evangelii c.25, et latius Abulensis<sup>7</sup> Mt 4, qq.83,84,85, ubi etiam impugnat Remigium contrarium dicentem; et pro hac Abulensis opinione videtur facere Hieronymus, De viris illustribus,

<sup>1</sup> Prosigue la publicación del ms. 760 de la Universidad de Salamanca. En ATG 68 (2005) se publicaron las lecciones 1-8 del cap. 1º; en ATG 69 (2006) las lecciones 9-14 del mismo capítulo 1º, y las lecciones sobre los capítulos 2º y 3º.

<sup>2</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.167.

<sup>3</sup> THOMAS Aq., *In Jn Evangelistam expositio*, c.4. Ed Vivès 19, 803.

<sup>4</sup> AUGUSTINUS, 2 *De consensu Evangelistarum*, c.18. PL 34,1097.

<sup>5</sup> TATIANUS - AMMONIUS ALEXANDRINUS, *Evangelicae Harmoniae*, c.21. PL 68,267.

<sup>6</sup> JOANNES GERSON, *Monotessaron sive unum ex quatuor*, c.22. Parisiis 1606, col.13.

<sup>7</sup> ALPHONSUS TOSTATUS, *In Ev. Mt expositio*, c.4, qq.83-85. p.179.

in Joanne<sup>8</sup>, et Eusebius<sup>9</sup> l.3 Historiae c.24, et Nicephorus<sup>10</sup>, l.2, c.15. Vide postea n.18.

(Cur Dominus redierit in Galilaeam vide postea n.21.)

**2. In civitate Samariae quae dicitur Sichar.** Omnes expositores conveniunt hanc civitatem esse quae alio nomine dicitur Sichem, et a graecis et latinis declinatur Sichima vel Sicima. (Sto. Tomás<sup>11</sup>, Cayetano y Claudio dicen que son dos nombres de un pueblo Sichem y Sichar; Lyra y Arboreus dicen que primero se llamó Siquén y después Sicar, sed vide quid dicat Hieronymus.) Vide Hieronymum in quaestionibus hebraicis in Genesim prope finem<sup>12</sup>, f.469,1,B, ubi ait *Sicima juxta graecam et latinam consuetudinem declinata est. Alioquin hebraice Sichem dicitur; ut Joannes quoque Evangelista testatur; licet vitiose, ut Sichar legatur error inoleverit; et est nunc Neapolis civitas urbs samaritanorum.* Haec Hieronymus. Idem, de locis hebraicis ait<sup>13</sup>: *Sichen et Salem quae latine et graece Sicina vocata est, civitas Iacob, nunc deserta est; ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos juxta sepulcrum Ioseph. Subvertit eam Abimelech et postea instaurata est a Jeroboam, sita vero est in finibus tribus Ephraim, sed et filius Emor appellabatur Sichem a quo et locus nomen acceperat. Fuit autem et altera Sichem in monte Ephraim civitas fugitivorum et praeterea Salem civitas sicimorum quae est Sichem et praeterea Sichem in tribu Manasse civitas sacerdotalis et fugitivorum in monte Ephraim ubi sepelierunt ossa Ioseph.* Praeterea Hieronymus (in epitaphio Paulae) in epistula 27, c.6 ait loquens de Paula: *transivit Sichem (non ut plerique errantes legunt Sichar) quae nunc Neapolis appellatur, et ex latere montis Garizim exstructam circa puteum Jacob intravit ecclesiam: super quo residens Dominus sitiensque et esuriens samaritanae fide satiatus est.* Hactenus Hieronymus<sup>14</sup>. Ex cuius verbis patet negare non posse quin civitas haec sit illamet Sichem in qua violata est Dina, ut fatentur etiam omnes interpretes, et patet etiam ex descriptionibus Terrae Sanctae.

3. Verum est hic nonnihil difficultatis nam praedium Jacob juxta Sichem emptum est ab eo *centum agnis*, ut patet Gn 33,19, et Josue 24,32. Praedium vero de quo Evangelista hic meminit quem dedit Jacob filio suo, possessum

<sup>8</sup> HIERONYMUS, *De viris illustribus*, Jn [c.4]. PL 29,692.

<sup>9</sup> EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Historia ecclesiastica*, l.3, c.24. PG 20,266.

<sup>10</sup> NICEPHORUS CALIXTUS, *Ecclesiastica Historia*, §l.1, c.19? PG 145,691.

<sup>11</sup> THOMAS AQ., *In Ev. Jn*, c.4. Ed. Vivès, t.19, p.803.

<sup>12</sup> HIERONYMUS, *Quaestiones in Gn.* 48,22. PL 23,1055.

<sup>13</sup> HIERONYMUS, *De situ et nominibus hebraicis*, Sichen et Salem, Sechen. PL 23,965, 966, 969.

<sup>14</sup> HIERONYMUS, *Epist.ad Eustochium*, 108. PL 22,888.

est a Jacob *in arcu et gladio* ut ipse ait, Gn 48,22. Vide quid hic respondeat Jansenius<sup>15</sup> sequutus Chrysostomum homil.67. Verum Hieronymus in quaestionibus in Genesim, ubi supra, ait *arcum et gladium appellari iustitiam per quam meruit peregrinus et advena imperfecto Sichem et Emor a periculo [f.51] liberari, timuit enim ne vicina oppida ob eversionem foederatae urbis adversus se consurgerent et Dominus liberavit eum*, vel certe sic intelligendum *dabo tibi Sicinam quam emi in fortitudine mea, id est in pecunia quam multo labore et sudore acquisivi*. Haec Hieronymus<sup>16</sup>, quem fere sequuntur Beda<sup>17</sup> et Abulensis<sup>18</sup> q.2, et Honcala<sup>19</sup> et Rupertus<sup>20</sup> hic dicentes gladium et arcum esse arma spiritualia, nimirum orationem per quam obtinuit Jacob ut hominibus illius regionis incuteretur timor a Deo ut et ipse liberaretur et libere praedium suum posideret. Et probant ex paraphrasi caldaica quae sic habet, *quam tuli de manu Amorrei oratione mea et deprecatione mea; quasi diceret meo marte, erat enim homo pacificus et non habebat aliud belligandi genus nisi ad Deum confugere et eius opem suppliciter implorare.*

4. Haec tamen expositio non placet Cajetano<sup>21</sup> et Oleastro Gn 48, et aliis nonnullis, aiunt enim partem illam quam Jacob donavit filio suo Ioseph non posse esse Sichem neque prope Sichem quia Sichem non erat in terra Amorreorum sed Heveorum ut patet Gn 34 [2] *quam cum vidisset Sichem filius Emor Hevaei*. Imo terra Amorreorum erat trans Jordanem ut ait Hieronymus, Amos 2, Sichem autem erat citra Jordanem. Praeterea partem agri prope Sichem emit Jacob centum agnis novellis, emptio vero durissime explicatur per arcum et gladium. Praeterea civitas ipsa Sichem non videtur possessa a Jacob; et si iure belli possessa est ea omnino pertineret ad Levi et Simeon ut bona castrensia, atque adeo non esset aequum ut eam suo arcui et gladio tribueret pater et Josepho relinquaret, atque ita ex hoc ipso Joannis loco videtur constare non fuisse relictam Jacobo civitatem aliquam sed praedium. Dicunt ergo hi Doctores duplarem agrum possedisse Jacob, alterum prope Sichem quem emit centum agnis ab Haeveis, alterum prope Sichar quem obtinuit iure belli ab amorreis, et hunc esse relictum Josepho, et de hoc esse in praesenti mentionem.

<sup>15</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.167.

<sup>16</sup> HIERONYMUS, *Quaest. In Gn*, 48,22. PL 23,1055.

<sup>17</sup> VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.4. PL 92,680.

<sup>18</sup> ALPHONSUS TOSTATUS, *In Gn explanatio*, c.33. f.262.

<sup>19</sup> ANTONIO HONCALA, m.1565.

<sup>20</sup> RUPERTUS TUITIENSIS, Comment in Jn, 1.4. PL 169,352.

<sup>21</sup> CARD. CAJETANUS, *In S.S. commentarii. In Gn 48,21*. Tt.1, Lugduni 1639, p.147.

**5. Dico 1º**, negari non posse quin idem sit ager quem emit Jacob centum agnis et quem dicitur possedit in arcu et gladio suo, quia constat, Josue ultimo [24,32], ossa Josephi sepulta esse in Sichen, in parte agri quam emit Jacob a filiis Hemor, et constat in praesenti sermonem esse de agro quem possedit Jacob in arcu et gladio quia hoc est praedium quod dedit Jacob filio suo ut patet Gn 48 [22], et constat ex traditione Beati Hieronymi et ex omnibus descriptionibus Terrae Sanctae in hoc praedio juxta puteum et fontem extitisse Josephi sepulcrum, id quod etiam per se erat satis verisimile ut ossa Josephi sepellirentur in eo agro quem ipsi reliquerat pater.

**Dico 2º**, Sichimitas recte appellari Amorraeos quia ut bene notant Vatablus et Honcala Gn 48, et Montanus in libello de 12 gentibus c.9, omnes illae nationes quae possidebant terram promisionis solent generaliter Amorreorum nomine appellari ut Gn 18 [Gn 15,16] *nondum impletae sunt iniquitates Amorreorum*, Amos 2 [9] *Ego exterminavi amorreum*, et confirmatur quia praedium quod [f.51v] Jacob dedit Josepho ut patet ex Joanne erat in provintia Samariae et illud sublatum est de manu amorrei; ergo non debet restringi nomen amorreorum ad eos qui erant trans Jordanem neque accipi ut distinguitur contra nomen heveorum, cum constet Samariam esse citra Jordanem. Unde patet fallaci argumento usos fuisse Oleastrum et Cajetanum.

**Dico 3º**, probabile esse eundem agrum prius fuisse emptum a Jacobo et postea bello et armis recuperatum, quia verisimile est cum e terra illa Jacob fugisset post occisionem Emor et Sichem, occupatum fuisse agrum a vicinis, ita ut oportuerit cum armis postea recuperare, id enim proprie videtur Sacra Scriptura significare quamvis bellum antea non narraverit, quia multa gesta sunt a Patriarchis quae non sunt a Moise narrata ut bene notant Oleaster et Caietanus; sed nimirum decepti sunt dum bellum hoc alibi gestum crediderunt quasi vero homo fuerit Jacob qui bello vellet occupare aliena, vel quasi Samaria fuerit trans Jordanem ut ager qui nunc erat in Samaria antiquitus fuerit eorum qui amorrei peculiariter appellabantur trans Jordanem. Vera igitur est Hieronymi sententia qui civitatem Sichar ait esse Sichem in qua Dina violata est, in qua sepultus est Joseph in agro qui Jacob emit ab haeveis et gladio suo tulit de manu amorrei. (Fuit urbs fugitivorum etc. También en esta ciudad se apartaron de Judá las otras tribus 3Reg 13. Aquí estaban sepultados los 12 Patriarcas Act 7 [16].)

6. Praeter ea quae narrat Jansenius<sup>22</sup>, observat Montanus ex illo (quem toties citat) Misnahioth, fuisse traditionem scribarum ut iudei non iuvarent cibo aut potu homines alterius instituti et religionis nec ab illis iuvarentur. Et

<sup>22</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.168.

emere quidem poterant Iudaei a samaritanis ea quae inmunditiae suspicione carerent, non tamen dono accipere, nec bibere ex eoden poculo quia vasa samaritanorum immunda judicabantur.

7. Sunt qui velint per nomen aquae vivae intelligere doctrinam Christi, atque ita aiunt mulierem samaritanam gessisse typum gentilitatis quae currebat ad puteos philosophorum ut ex eis hauriret aquam, id est peteret scientiam veritatis et bene vivendi doctrinam, et Dominum assignare voluisse discrimen inter suam et aliorum doctrinam. Sed ipse Evangelista, c.7,38 explicat sermonem esse de Spiritu et Gratia per Christum collata, dum ait *qui credit in me flumina de ventre eius fluent, hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*. Utique etiam sensus fortasse admodum est intentus vel potius utrumque in idem redit, quia in primo non debemus intelligere sermonem esse de doctrina speculative sumpta ut aiunt, sed de fide viva nam ea ratione est aqua viva et tollit sitim, et perinde est agere de effectibus fidei vivae et de effectibus Gratiae coelestis, et Spiritus a Christo collatus utrumque includit, nempe felicitatem intellectus et voluntatis, sicut fons vivus qui implet omnia.

8. Multis de causis potest Gratiae Christi accommodari nomen aquae, quia mundat sordes peccatorum, extinguit ardorem concupiscentiae, foecundat animam et reddit fertilem bonorum operum; et sicut aqua cum sit unius naturae in diversis tamen rebus habet diversos effectus, nam rigans hortum gignit in lirio colorem album, in rosa rubrum, in viola purpureum, in ficu dulcedinem, in absinthio amaritudinem; sic Gratia Dei quibusdam largitur spiritum humilitatis et timoris, aliis spiritum fiduciae, alios facit activos, alios contemplativos; praeterea sicut aqua defluit e coelo, scaturit e terra et ex mari [f.52] per occultos meatus profluit, sic Gratia infunditur a Deo et ex Christo invisibiliter per Sacra menta ad nos derivatur, et foras exilit edendo actiones bonas. Praeterea est in aquae natura fons, flumen, puteus, mare, etc quae omnia habent optimas accommodations in Christum, diversas plenitudines gratiarum, sed in praesenti id potissimum videtur Dominus respexisse nimirum quod aqua tollit sitim, et in hoc videtur Dominus assignare discrimen inter aquam suae Gratiae et inter aquam putei vel fontis, quod qui bibet aquam proprie dictam, post aliquas horas iterum sitit, qui vero bibit aquam Spiritus non sitit ulterius. Sub qua loquendi figura latius patet distinctio, nam sicut in siti etiam est appetitus aquae, sic in omni homine est vehemens quidam felicitatis appetitus qui semel atque iterum bibendo numquam videtur satiari; huiusmodi ergo appetitus recte appellatur sitis, et id quod ad sedandam hanc sitim bibitur recte appellatur aqua. In universum ergo distinguit Dominus

aquam suam a qualibet alia, quod nulla alia tollit proprie sitim sed solum tantisper cohibeat, quia videmus eos qui valde biberunt ex huius vitae poculis valde anhelos et sitibundos at de sua aqua pronunciat Dominus eum qui semel biberit amplius non sitire.

9. Occurrunt circa hoc duae difficultates quas bene explicat Jansenius<sup>23</sup> sed adhuc dubitatur an intentio Domini sit eum qui semel biberit ex aqua Gratiae non amplius sitire bona temporalia vel non amplius sitire Gratiam, quia neutrum videtur valde congruere, quia si discriminem illud est quod qui bibit Gratiam non sitit bona temporalia, similiter qui bibit bona temporalia non sitit Gratiam, nam ut bene ait Gregorius, sicut *gustato spiritu desipit omnis caro, ita etiam gustata carne desipit omnis spiritus* atque ita manebit differentia in aquae excellentia non vero in tollenda omnino siti ita ut qui semel biberit non amplius unquam sitiat; si vero discrimen ponatur in eo quod qui bona temporalia bibit adhuc sitit bona temporalia, qui vero qui semel bibit Gratiam non amplius sitit Gratiam, neque hoc videtur usquequa verum neque valde magnificum quia id potius videtur desiderabile ut homo non sitiat temporalia sed solum spiritualia. Respondeo sermonem Domini esse multo significantiorem si non restringatur ad peculiarem sitim huius vel illius rei sed in communi accipiatur de siti et appetitu felicitatis, quasi diceret qui ad alium accedit fontem quamvis tantisper sibi videatur satisfacere, sed tandem experitur non sibi esse ablatam sitim nam iterum atque iterum expedit felicitatem et anxius desiderat id quod se carere cognoscit; qui vero ad Me accedit et bibit videtur fontem ebibisse et intra se eam semper ebullientem continere, quia iam non desiderat felicitatem, non sitit sed fruitur et saturatur. Quod si obiicias illud Eccli 24 [29] *qui bibunt me adhuc sitient*, optime Respondet Jansenius<sup>24</sup> sed dico brevi quod sitis in eo cui non suppetit aqua, affert secum anxietatem, et sitis in bibente affert secum voluptatem, et sicut summa infelicitas sitientis est non invenire aquam, sic summa felicitas bibentis esset non satiari aqua neque amittere bibendi voluptatem; ergo qui semel bibit aquam Christi non amplius anxie sitit quia numquam ei deest aqua, sed deliciose sitit quia bibendo sitit et numquam ei potus fastidium adducit sed semper magis et magis sapit ei coelestis aqua, et propterea dicitur Eccli 24 *qui bibunt sitient*, id est bibendo sitient, atque adeo non cum anxietate quam adducit carentia boni sed cum voluptate quam experitur qui bibendo non satiatur.

[f.52v]

<sup>23</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.170.

<sup>24</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.171.

10. Circa dicta nota negari non posse quin vera cordis voluptas non inveniatur in huius saeculi vel divitiis vel honoribus vel deliciis ut fatentur experti. Quod si quis falso putat se eam invenisse nondum animo informavit quid sit voluptas cordis, nec enim idem est voluptas linguae vel oculorum vel aurium etc atque voluptas cordis, et dum miser homo anxius quaerit huiusmodi bona vere quaerit suum cor satiare, sed quod quaerit non invenit quia gustus v.gr. cibi manet in faucibus et saltem cibus non pervenit ad animum sed ad stomachum et inde in secessum mittitur. Et similiter quidem in caeteris rebus contingit; sed non omnes animadvertunt, quia plerique recusant ingredi ad animum suum ne sitim, ardorem et cruciatum interiorem sentire cogantur quem ex defectu verae felicitatis miser animus necessario patitur. Unde contingit eis idem quod magna febri laborantibus, qui cum non audeant bibere, non quo sitim tollant sed ut eam aliquomodo fallant variis artificiis humectant linguam et fauces et manet nihilominus eadem ariditas, siccitas et ardor in iecore atque praecordiis, atque ita opus habent remedium illud subinde repetere et nihilominus crebro repetitum vere non prodest nisi ad fallendum tempus. (Por esto llamamos a la recreación pasatiempo y entretenimiento.) Vide illud Ps 21 [16] *aruit tanquam testa virtus mea et lingua mea adhaesit faucibus meis*, et Ps 105 *aruit cor meum*, et Ps 142 [6] *anima mea sicut terra sine aqua*, quae scilicet arescit et fit sterilis et resolvitur in pulverem.

11. Sublata hac interiori siti per Gratiam quae restituit hominem sanitati non mirum est quod iam nihil curet de iis remediis quae ad refocillandas fauces anxie desiderant aegroti, imo non mirum est ut eiusmodi levamenta etiam oblata fastidiant et iam neque novarum rerum audire delectetur neque honoribus, neque velit interesse conviviis neque ludis, quia experimur homines qui perfecta sanitate fruuntur potius aegre ferre si cogantur tanquam aegri gestare et versare in ore et sugere faucibus nescio quae humefacta grana in linteolo parvulo colligata et insanum reputaremus aegrum qui ad eam voluptatem invitaret sanos et sibi persuaderet eos similiter indigere et delectari eo levamento sicut sentit se misere angi si careat illo.

Dubitatur tamen quomodo non omnes qui sunt in statu gratiae experiuntur sibi ablatam esse sitim, nam proculdubio multi sunt inter eos quos adhuc honoris cura anxious tenet atque sollicitos, et alii valde amant indulgere genio quacumque ratione eis sine crimine concedatur, et similem augendae rei familiaris sitim experiuntur multi, alii de filiorum collocatione misere variis distinentur curis, et denique pro suo quisque ingenio et natura ita sunt multi variis studiis addicti ut omni ratione praemissa contendant suis desideriis satisfacere. Et nihilominus credibile est eos bibisse ex aqua Christi et eum

fontem habere intra se quem Christus praedicat; ergo haec aqua non tollit omnino sitim.

—**Respondeo 1º**, magnum esse discrimin inter desideria quae sibi quis permittit intra terminos honesti et inter ea quibus per fas perque nefas vult homo frui, nam propterea dictum est Prov 13 [25] *iustus comedit et replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis*; est ergo adeo vehementior sitis peccatorum ut in eius comparatione etiam nimia desideria iustorum vel honoris vel pecuniae non appellantur sitis quia non adeo cruciat quod non adeo desideratur et iusti desiderium est finitum, peccatoris vero infinitum, et inter finitum et infinitum nulla est proportio.

[f.53]

12. —**Respondeo 2º**, Gratiam suapte natura non solum moderari iustorum sitim faciendo ex infinita finitam, sed etiam sufficere ad tollendam omnino sitim rerum terrenarum, quia ut dicitur in Prov [27,7] *anima saturata calcavit favum*; unde qui agnoscent quanta felicitate fruantur in adhaerendo Christo per cognitionem et amorem, contenti Gratiae thesauro et margarita, facile vendunt sive contemnunt caetera omnia. Et is status felicissimus est non solum propter futurae felicitatis spem sed propter praesentis voluptatis integritatem; voluptatis dico non linguae vel aurium sed cordis et animi quae tanto maior est quanto animus est maior sensibus, et vera voluptas animi non consistit in eo quod homo sit promptus et alacer secundum inferiorem animae partem nam ab hac dispositione saepe longe absunt viri perfecti, sed consistit in pace partis superioris quae omnino contenta sit Deo et caetera omnia parvipendat, nam proculdubio qui vere ita est animatus, in mediis tribulationibus, tristitiis atque moeroribus partis inferioris, summa fruitur spiritus pace et immensa quadam voluptate spirituali. Et hanc quidem voluptatem non mirum est quod valde tenuem existimet esse atque adeo imperceptibilem homines carnales seu animales qui omnia referunt ad sensus, sicut hebetes et obtusi non possunt omnino informare mathematicarum v.gr. demonstrationum aliquam esse voluptatem, quia nihil fere percipiunt esse delectabile nisi ad delectationes gustus et tactus pertineat, sicut irrationalia. Verum si quis fuerit aliquantum perspicacior et rationem voluerit perpendere supradictam doctrinam, facile sibi persuadebit eam esse verissimam, quia non dubium est quin maioris boni possessio maiorem delectationem afferat animae si bene percipiat bonum quod possidet; sed Dei amicitia et Christi divitiae et libertas Spiritus sunt incomparabiliter maiora bona quam caetera omnia quae nobis possunt in hac vita contingere. Ergo si quis existimet se illam tantam felicitatem possidere et illius rectam habeat aestimationem necessario afficietur suprema quadam et incomparabili delectatione quae expleat animae sitim, atque adeo cum pati

non solum extrinsecus infamiam et cruciatus sed etiam intrinsecus moerores et anxietates, una cum perfecta conformatio[n]e animi ad voluntatem Dei sit huius vitae felicissimus status, qui recte perpenderit quanto fruatur bono, necessario afficietur suprema quadam voluptate in parte animae superiori, et quamvis daemon perturbare conetur hanc spiritus pacem afferendo metus, desperationes, scrupulos, nihilominus si homo agat quod in se est et libenter suscipiat crucem de manu Dei et suam in eo per Christum confidentiam collocet, fluctus illi non pervenient ad partem animae superiorem, quia si recte perpendat adhuc est in felicissimo statu et adhuc datur ei bibere per confidentiam de aqua Christi seu potius de Aqua et Sanguine ex eius latere fluente; et quia superior ratio altissimum id est Christum posuit adiutorem suum, non accedit ad illam malum, et *flagellum non apropinquat tabernaculo eius, super aspidem et basiliscum ambulat et conculcat leonem et draconem*, et haec recte perpendenti maximae sunt voluptates. Neque obstat praeteritorum criminum memoria etiamsi homo conscientius sibi sit se paulo ante graviter deliquesse, quia si modo velit perfecte se subdere Deo et dicere cum Paulo *Domine quid me vis facere*, denique si legitime ad Christum configuiat, bibit ex fonte qui perfectissime sitim cordis extinguit; et tandem non obstat illa aliqualis incertitudo quam homo habet de sua dispositione, id est an vere faciat nunc quod in se est et legitime accedat ad Christum, nam quamvis de hoc non sit certitudo fidei tamen qui vere *omnia pro nunc arbitratur ut stercora ut Christum lucrifaciat*, qui nihil prorsus vult nisi ut voluntas Dei fiat in se sicut in coelo, licet fortasse speculative dubitet de sua perseverantia et de sua dispositionis intensione, nihilominus habet certitudinem moralem se pro nunc ita esse animatum [f.53v] ut omnia prorsus divinae voluntati permittat et velit quidquid Deus voluerit. Et non habent de suis divitiis maiorem certitudinem divites huius mundi, et ita quamvis non sit certus de fide se frui divitiis Christi id tamen quod deest ad hanc certitudinem suplet quodammodo confidentia de divina bonitate quam facile sibi quis persuadet sibi non denegaturam gratiam quando videt sibi supradictam dispositionem esse concessam et cum iam non tan[ta] sui quam divinae gloriae curam gerat non adeo fatigatur futurae perseverantiae dubitatione quia certo scit sibi Deum non defuturum (que no ha de faltar por parte de Dios) et certo confidit secum liberalissime acturum, atque ita quod de se timet ita timet ut libenter velit in aeternum puniri si Deus ita voluerit propter humanae ingratitudinis magnitudinem, et haec ipsa sua dispositionis experientia valde confirmat de divina bonitate confidentiam erga se ita ut iam fere non dubitet homo de suis rebus curaturum Deum cum infallibili providentia cui donavit ita esse animatum ut de divina gloria magis curet quam de sua felicitate, atque ita libenter vult ignorare quod Deus voluit, ut de sua perseverantia

ignorare, et nihilominus pacifice fruitur praesenti felicitate quae non solum in ratione sanctitatis sed etiam in ratione voluptatis et explendae sitis tanta est ut non obstantibus supradictis moeroribus et calamitatibus quas patiuntur viri spirituales appellaverit eam Christus fontem aquae vivae intra viscera inclusum et c.7 [38] flumina in praecordiis suavissime fluentia. (Pues como dice S. Pablo miserabiliores essemus omnibus hominibus.)

13. —**Dico 3º**, eos qui in Gratia Christi non inveniunt supradictam cordis voluptatem et pacem in qua acquiescat animus et nihil ulterius expetat, sibi debere imputare, qui cum sint divites tanquam pauperes volunt ostiatim mendicare et ad ostia creaturarum identidem recurrere, nam haec ipsa distractio et occupatio impedit animum ut neque sit memor suae felicitatis neque eius magnitudinem comprehendat. Et sicut aegroti dum fallunt sitim, eam fere pro tunc non sentiunt ita sani dum eisdem utuntur remediis veluti fallunt sanitatem et eam pro tunc non sentiunt. Quod meticulosus convalescentibus contigere solet et iis quibus fractum fuit v.gr. brachium, nam postea quam consolidatum est nondum fruuntur salute adepta quounque abiiciant colligationes et lintea et velint ut aiunt sine cortice natare. Ita proculdubio incredibili afficiuntur voluptate qui abieco penitus honore et commoditatibus, Gratiae Christi confidunt et experiuntur se non indigere adminiculis fallacibus et bene posse soli Christo niti.

14. —**Dico 4º**, non esse idem habere aquam et bibere aquam, et quidem omnes qui sunt in Gratia habent aquam Christi sed non statim eis extinguitur sitis quounque bibant, bibere autem dicuntur qui abiectis aliis curis volunt eo poculo suam explore sitim. Atque ita Joannes c.7 [29] annotavit Christum loquutum fuisse *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*, id est non praecise de qualitate gratiae quam iam acceperant, sed de spiritu evangelico per quem homines dicuntur spirituales et quem antea mundus non noverat, nimirum subiciendi se perfecte Deo et nihil aliud volendo nisi Deum. Adde quod non dicitur bibere qui summis ut aiunt labiis degustat aquam sed qui aperit os et serio vacat extinguendae siti. *Aperi os tuum et implebo illud*. Praeterea sicut ante usum rationis nemo fruitur divitiis quas habet ita nemo fruitur felicitate christiana nisi exercendo actus fidei vivae; et quia nostrae divitiae non solum consistunt in qualitate gratiae sed potissimum in ipso Christo Domino nostro in quo habemus omnia bona, inde est ut secundum mensuram vacui vasis quo quis accedat ad Christum ita accipiat de plenitudine eius nempe vel remissionem peccatorum [**f.54**] vel amorem Dei perfectum et sitis omnimodam expletionem. Vide historiam *de fonte in deserto*, Num 20, et *de oleo*, 4Reg 4, et nota iam nobis esse donata immensas

divitias Christi, ita tamen ut unusquisque eis fruatur pro confidentia in illum faciendo quod in se est. Quare si nunc vere volo omnibus renunciare, quamvis timeam hunc meum actum non esse ita perfectum ut per se possit sitim meam extingui vel Deo placere, sed merito possum tanquam meam reputare Christi perfectissimam renuntiationem et in ea tanquam in bono a me posse gaudere, nam bene faciendo quod in me est et confidendo in Christo, possideo bona Christi et per eum possum placare Deum et mihi amicissimum reddere tamquam per aliquid meum a me oblatum, atque ita ipse consolatus est beatam Methildem cum ipsa valde moesta esset quod sibi videretur Deum non diligere, filia, inquit, omnia mea tua sunt atque ita merito potes offerre Patri meo amorem Cordis mei tanquam amorem tuum et quotiescumque me amare volueris dicio mihi: Domine amo te, id est vere volo te amare et quidquid minus est in me oro te ut suppleas offerens Patri tuo amorem Cordis pro me. Et ista est proculdubio summa felicitas in qua viri spirituales requiescunt.

15. Sed ne longius abeamus explicemus breviter constructionem illorum verborum *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*, nam duriuscula appetit communis interpretatio, nimirum que da saltos hasta la vida eterna, vel quod ascendit usque ad coelum quia descendit e coelo juxta naturam aquae quae per ocultos canales derivatur tantum ascendit quantum descendit. Ingeniose quidem sed fortasse minus ad rem. Simplicius est naturam fontis explicare cum dicitur fons aquae salientis, nam proprium est fontis ut semper scaturiat et sursum ebulliat aqua, atque ita fons aquae salientis idem est quod fons aquae vivae. Et quod subditur *in vitam aeternam* duplíciter construi potest: primum, quod in ipsa metaphora fonti tribuatur vita aeterna, quasi diceret fons aquae in aeternum salientis et vivae. Secundo si nomine vitae aeternae significatur perfecta felicitas ut saepe alibi, coelestis iste fons dicitur fieri in homine ad ipsius satietatem et perfectam voluptatem, ita ut nihil iam sit quod sitiat habendo intra viscera perennem felicitatis fontem.

16. De quaestione quam mulier proposuit Christo et de eius occasione et historia quam supponit, optime Jansenius<sup>25</sup> ex Josepho. Sed quod mulier ait *patres nostri in monte hoc adoraverunt*, Chrysostomus<sup>26</sup>, Theophylactus<sup>27</sup> et Euthymius<sup>28</sup> referunt ad Abrahae sacrificium quod in illo monte Garizim factum esse putant. Verum ex Gn 22 constat Abrahamum sacrificasse in

<sup>25</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.171.

<sup>26</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.* 32. PG 59, 186.

<sup>27</sup> THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev. Enarratio*, c.4,18. PG 123,235.

<sup>28</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. in Jn*, 4,19. PG 129,1194.

monte Moria ubi postea aedificatum est templum Salomonis, quia quod nos legimus *vade in terram visionis*, hebaice est in terram Moriam, quare potius dicendum est respexisse mulierem ad argumentum commune samaritanorum qui suo templo auctoritatem conciliare volebant ex eo quod in eo monte jussisset Moises legi benedictiones observantium legem, Deut 27. Et quod in eo altare erexisset Jacob, Gn 33. Quia licet ibi Sacra Scriptura non meminerit montis, solebant tamen Patres in montibus adorare. Fortasse etiam cum ait *Patres nostri* intelligit antiquos samaritanos qui illud templum aedificarunt et in eo sacrificarunt.

17. Responsio Christi continet tria: —**1<sup>um</sup>** est, brevi, forte ut utriusque templi cultus tam samaritani quam hiersolimitani penitus aboleatur. (El templo de Samaría dice Josefo 13 Antiquitatum<sup>29</sup> c.17, que le derribó Hircano 200 años después, sed valde verisimile est que en tiempo de Cristo todavía sacrificaban allí, quizá le reedificaron etc.) —**2<sup>um</sup>** est, interim veram doctrinam et adorationem conservatam esse in populo iudaico eo quod salus mundi sit ex illo populo promissa. —**3<sup>um</sup>**, instare iam tempus in quo adoratio fiat in spiritu et veritate. De hac responsione optime Jansenius<sup>30</sup> et Cyrillus<sup>31</sup> in integro libro *De adoratione in spiritu et veritate*.

Sed nota duo: —**1<sup>um</sup>** est, cum evidenter constet non esse sermonem de qualibet adoratione sed [f.54v] de legitimis sacrificiis, oportere ut quod Cristus ait instare iam tempus in quo Deus adoretur in spiritu et veritate, peculiariter intelligatur de Sacrificio Missae et de iis quae in Ecclesia christiana respondent antiquis sacrificiis. (El Sacrificio de la Misa aunque a mí me falte el espíritu le tiene él y está allí Cristo espiritualmente y verdaderamente.) —**2º**, optime assignat Jansenius<sup>32</sup> discrimen inter cultum Dei iudaicum et christianum, sed nisi fallor non opus erat valde laborare in discriminine inter id quod requirit lex et inter id quod requirit Evangelium quia quamvis lex potissimum requereret spiritum, nihilominus iure conquaerebatur Christus quod *populus ille labiis et sacrificiis honorabat, cor autem eorum longe erat ab eo*, et in ipso externo cultu verum est quod promulgato Evangelio et Spiritu Sancto de coelo misso adoratus est Deus in spiritu et veritate id est con espíritu y con veras y no con sola apariencia como hipócritas fingidos o como cuerpo sin alma. Et spiritum quidem accipit Cyrillus<sup>33</sup> ut opponitur contra litteram, et veritatem ut opponitur contra figuram. Sed supradictus

<sup>29</sup> FLAVIUS JOSEPHUS, *Antiquitatum*, 1.13, c.17. Colonia Agrippina, f.146.

<sup>30</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.171.

<sup>31</sup> CYRILLUS ALEX., *De adoratione in Spiritu et Veritate*. PG 68,133.

<sup>32</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.172.

<sup>33</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev*, c.4,23 PG 73,314.

sensus magis cum Christi argumento adiungitur scilicet Deum esse Spiritum atque adeo spiritu praecipue colendum nam spiritus efficit ut sacrificia sint vera et non fallacia.

**18. *Adhuc quatuor menses sunt et messis venit.*** Phrasis hebraica est similis illi *adhuc 40 dies et Ninive subvertetur* id est antequam praetereant 40 dies. Sed dubitatur quo tempore anni contigerit haec historia, quia quamvis certum sit contigisse quatuor mensibus ante messem nihilominus sunt in hac re duae opiniones valde inter se diversae. Jansenius<sup>34</sup> enim c.23 et 36 existimat ex Sacra Scriptura constare messem in terra promissionis fieri ante Pentecostem atque adeo opus esse ut haec historia contigerit non proxime post illud Pascha primum in quo Dominus flagello eiecit vendentes et ementes sed tribus ad minimum mensibus ante Pascha anni sequentis, nempe mense decembris, quare existimat Dominum commoratum fuisse in Iudea praedicando et per suos baptizando octo vel novem menses, usque ad decembrem, et tunc capto iam Joanne Baptista reversum fuisse Dominum in Galilaeam et in itinere Sichimitas ad sui cognitionem adduxisse. Idem sentit Cajetanus<sup>35</sup> et Claudius et Pererius<sup>36</sup> in Dan 1.11, q.7, f.361, et Hugo Cardinalis et favet D.Thomas<sup>37</sup> dum ait hanc historiam *in hieme* contigisse. Verum alii simplicius esse putant ut Dominus paucis diebus manserit in Iudea atque ita proxime post Pascha transierit per Samariam et samaritanam mulierem converterit initio veris, quia Pascha incidebat in mensem martium, et Palestina est in eodem fere climate quo nostra Bethica atque adeo in ea erit tempus messis triticeae mensis julius, et quatuor menses sunt aprilis maius junius et julius. Hanc sententiam sequitur Cyrillus<sup>38</sup>, dicit enim hoc tempus de quo loquitur modo Joannes fuisse initium veris, idem sentit Albertus Magnus<sup>39</sup> et Montanus hic. Et confirmatur quia non est illa regio adeo calida ut posit ante Pentecostem provenire messoris quandoquidem Jn 18 legimus quod pridie ante Pascha frigus erat et ministri ad prunas calefaciebant se. Vide supra quae diximus n.1, nam si haec ultima sententia vera est vix erit credibile hunc redditum Domini e Galilaea esse eundem quem caeteri Evangelistae narrant. Sed in ea oportet respondere iis locis in quibus in festo Pentecoste fit mentio segetum, ut Levit 23 et Ex 23. Vide ibi Cyranum et Josephum 3 Antiquitatum c.10<sup>40</sup>.

<sup>34</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23; c.36. Lugduni 1580, p.175; p.226.

<sup>35</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, g.4,35. Lugduni 1639, p.313.

<sup>36</sup> BENEDICTUS PERERIUS, *In Danielem*, 1.11, q.7. Lugduni 1591, p.694.

<sup>37</sup> THOMAS AQ., *In Jn Evangelistam expositio*, c.4. Ed Vivès, 19,820.

<sup>38</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev* 4,35. PG 73,326.

<sup>39</sup> ALBERTUS MAGNUS, *In Ev Jn* 4,35. Ed. Vivés 1899, vol.24, p.180.

<sup>40</sup> FL. JOSEPHUS, *Antiquitatum judaicarum*, 1.3, c.10. Baslea 1554, p.73.

(Más dificultad hay en otros lugares de Josue, ut bene Pererius l.11, q.7, f.361.

(Juan Buey piensa que proxime post Pascha Dominus regressus est in Galilaeam y con todo eso hace una misma esta vuelta y la que los otros Evangelistas cuentan, y así tiene por sin duda que San Juan fue preso paulo post Pascha y que estuvo preso casi un año nam occisus est paulo ante Pascha, ut patet Jn 6. Vide Joannem a Bove ante l.3, ante c.1 et ante c.55. Vide Joseph Scaligeri.)

19. *Levate oculos vestros*, id est temporalis messis nondum tempus est, sed messis spiritualis tempus iam appropinquavit, considerate samaritanos nunc ad me exeuntes, et videbitis iam homines maturos esse praedicationi evangelicae sicut segetes albae aptae sunt ad messem, ideoque opus ian est ut operarii mittantur. Vide illud Mt 9 [37] *messis quidem multa operarii autem pauci.*

[f.55]

20. *Et qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam*. Plerique pro eodem accipiunt *mercedem* et *fructum*, multo tamen aptius videtur esse ut fructus qui congregantur sint ipsae segetes, quasi diceret in hac spirituali messe messorem magnam accipere mercedem, et ipsis segetibus tribui vitam aeternam ita ut facile non solum non auferatur eis vita sed potius tribuatur aeterna, atque hinc est ut ex hac nova metendi ratione maximum gaudium capiant et qui seminat et qui metit. (Parece que la hoz le quita la vida a la planta y acá antes la mejora etc.) Porro subdit in hac re maxime verum esse quoddam proverbium vulgo tritum apud iudeos (ut ait Chrysostomus<sup>41</sup>) nempe quod *alius est qui seminat et alius est qui metit*. Et cum per messores manifeste intelligantur Apostoli et viri apostolici, per seminatores fere intelligunt interpretes, et cum Irenaeo Lc 4, c.4, patriarchas et prophetas qui prima verbi Dei semina in illo populo iecerunt. Et de eis exponunt quod segem *alii laboraverunt et vos in labore eorum introistis*. Sed fortasse verosimilius erit per eos qui laboraverunt seminando ante Apostolos intelligere ipsum Christum, ita ut usus sit numero plurali pro singulari, quia sermo est manifeste de eo seminatore cuius labori debetur fructus quem messor colligit, id quod de Christo aptissimum habet locum, de prophetis vero non adeo aptum nisi dicas sermonem esse in plurali quia secum numerat Christus tanquam participes sui laboris prophetas et Joannem Baptistam. Non tamen dicit Christus messores non laborare aut Apostolos minus laborasse quam prophetas sed eum esse laetissimum laborem per

<sup>41</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.34.* PG 59,195.

quem uberes fructus statim percipiuntur atque ita praesentia gaudii elevat laborem et omnes abstergit molestias. (Como navegar con buen viento.)

21. Sequitur abiisse Dominum statim in Galilaeam eo quod *propheta in sua patria honorem non habeat*, quae ratio, juxta communem explicationem videtur absurda, adeo ut coegerit Jansenium<sup>42</sup> absurdius quid meditari nempe Iudeam hic esse patriam Domini quia proprie erat Betlemita, sed rationes quae efficiunt ut propheta in sua patria honorem non habeat, in ea patria procedunt in qua quis educatus est et adolevit atque adeo per patriam non designatur Bethleem sed Nazareth et Galilaea. Et nihilominus mihi aptissima videtur connexio si dicamus Dominum abiisse statim ex Samaria quia cum ibi inciperet palam appellari Salvator mundi et ipse iustis de causis nondum vellet eius honoris publicam et vulgarem famam augeri aut saltem non vellet videri levis aurae popularis captator, declinandum fuit ei in locum in quo ex professo videretur honorem interim fugere, atque hoc consilio abiit in Galilaeam certo sciens prophetam in sua patria fore non valde honorari. Et nihilominus exierunt ei obviam galilaei cum omnia vidissent quae fecerat Hierosolimis in die festo. Ubi obiter nota contra Jansenium<sup>43</sup> quod Dominus non redierat post Pascha in Galilaeam sed quod in praesenti Dominus non declinaverit a patria eo quod ibi minorem esset habiturum honorem sed potius propter hanc ipsam rationem eo se receperit. Patet primum ex contextu, quia Galilaea comprehendit Nazarethem. Quid ergo dicturus de cordubensi quod veniens a rege noluit Cordubam accedere diceret eum in Bethicam declinasse. Praeterea nostrae explicationi favet similis locus. Jn 6,15, ubi cum homines dicerent de Domino *hic est vere propheta qui venturus est in mundum, ipse fugit iterum in montem solus*. Et fortasse idem fuit consilium Domini, Jn 4 in principio, ubi *cum cognovisset Jesus quod audierunt pharisaei quod Jesus plures discipulos facit quam Joannes reliquit Iudeam et abiit iterum in Galilaeam*. Facit etiam pro hac explicatione quod nomine patriae intelligit in praesenti Chrysostomus<sup>44</sup> Capharnaum, nam totus ille tractus Galileae iure appellatur Christi patria et in toto illo tractu habent locum illae rationes quae valent ut propheta in sua patria honorem non habeat.

[f.55v]

22. *Erat quidam regulus*. Videtur noster interpres in graeco legisse *basiliscos*, quod est diminutivum regis, sed exemplaria graeca nunc habent *basilicos*, quod potius significat hominem regium seu palatinum ut bene notat

<sup>42</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.177.

<sup>43</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.177.

<sup>44</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 35*. PG 59,200.

Jansenius<sup>45</sup> ex Hieronymo, Is 65<sup>46</sup>, et eodem modo legit interpres Nicephori<sup>47</sup>, l.1 Historiae c.24, vocat enim *regium hominem*. Similiter interpres Athanasii in synopsi, et interpres Theophilacti et Euthymii<sup>48</sup>. In Origene, Chrysostomo<sup>49</sup> et Cyrillo<sup>50</sup> legimus latine *regulum* sed non satis constat an ipsi legerint basilicos vel basiliscos.

—**Dico 1º**, satis verisimile esse antiqua exemplaria habuisse basilicos sicut noster interpres legit, non enim potuit rem apertissimam ignorare, id est quomodo differant haec duo nomina in graeco.

—**Dico 2º**, utriusque vocabuli vim posse in eodem sensu accipi ut regius homo dicatur ille qui aliqua potestate seu dignitate pro rege fungitur, id enim reguli nomen significat, nam praefectos seu gubernatores provinciarum et urbium appellat noster interpres regulos, ut Josue 13 *quinque regulos Philistium* pro quo Septuaginta *quinque satrapas philistinorum*. Et Judic 3 est idem vocabulum in hebreao ubi nos legimus quinque satrapas philistinorum et iidem praefecti vocantur subreguli, 3Esdr 7 et 8. Praeterea Chrysostomus, Theophylactus<sup>51</sup> et Euthymius<sup>52</sup> videntur utramque vocem confundere in explicatione cum aiunt appellari regulum sive regium vel quod essent regii generis vel quod aliqua principatus dignitate fungerentur. Siriaca translatio appellat eum servum regis. Jansenius<sup>53</sup> suspicatur sola divitiarum ratione potuisse appellari regulum vel regium. Sed utcumque nostram lectionem sequuntur non solum Augustinus<sup>54</sup>, Gregorius, Beda<sup>55</sup>, Rupertus<sup>56</sup>, sed etiam Erasmus<sup>57</sup>. Nota deinde bene argumentari contra Hieronymum in praesenti Jansenium<sup>58</sup> quod iste regulus non esset ethnicus quia non eum ita reprehenderet Dominus *nisi signa et prodigia videritis non creditis*. Praeterea Irenaeus, lib.7, c.39 videtur sensisse hunc regulum esse eundem cum centurione, sed eam opinionem merito refellit Chrysostomus<sup>59</sup> hic.

<sup>45</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.24. Lugduni 1580, p.178.

<sup>46</sup> HIERONYMUS, *Comment. in Is*, c.65. PL 24,654.

<sup>47</sup> NICEPHRUS CALLISTUS, *Ecclesiastica Historia*, l.1, c.24. PG 145,706.

<sup>48</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 5,48. PG 129,1206.

<sup>49</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil* 35. PG 59,202.

<sup>50</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev* 1,2, 4,46. PG 73,331.

<sup>51</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev. Jn.* c.4, v.46. PG 123,1254.

<sup>52</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 5,46. PG 129, 1203.

<sup>53</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.24. Lugduni 1580, p.178.

<sup>54</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev trac* 16. PL 35,1524.

<sup>55</sup> VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.4. PL 92,689.

<sup>56</sup> RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn*, 1,4. PL 169382.

<sup>57</sup> ERASMUS DE ROTTERDAM, *Versio Novi Test. In Ev Jn c.4,47, nota*. Lugduni t.6, 1705, col.357..

<sup>58</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.24. Lugduni 1580, p.177s.

<sup>59</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.*35. PG 59,201.

23. Ultimo perpende quomodo Dominus obiiciat iudeis *nisi signa et prodigia videritis non creditis* et tamen ipse dicat c.15 *nisi fecisset opera in eis quae nemo alius fecit peccatum non haberent.*

## Caput 5

**1. Post haec erat dies festus iudeorum.** Inter historiam capit is 4 et hunc ascensum Domini in Iudeam multa Jansenius facta esse existimat quae undecim capitibus interponit in sua *Concordia*<sup>60</sup> et multo plura interponit Joannes a Bove in vita Christi, libro 3 a capite 4 usque ad 55. Sed huius rei certa cognitio pendet ex re valde incerta, non enim satis constat de quo festo iudeorum intelligendus sit Joannes in praesenti, id est an de Paschate vel de Scenopegia. Et quidem nihil videtur interponendum si dies iste *festus* est Pentecostes ut videtur ipsa series postulare, atque ita explicant Chrysostomus<sup>61</sup>, Cyrillus<sup>62</sup>, Theophylactus<sup>63</sup>, Euthymius<sup>64</sup>, Albertus<sup>65</sup>, S.Thomas<sup>66</sup>, Historia Scholastica<sup>67</sup>, Magister historiarum, Lyra<sup>68</sup>, Cartusianus<sup>69</sup> atque Montanus

Sed contra hanc opinionem obiiciuntur nonnulla: —1º, quod post Pascha commoratus est Dominus in Iudea et postea abiit in Galilaeam. Ergo non potuit ante Pentecostem redire in Iudeam quia *commorandi* verbum postulat multorum dierum moram, atque hoc argumento videtur Jansenius<sup>70</sup> redditum in Galilaeam et historiam Samaritanae reiieciisse in decembrem. Verum neque verbum graecum *diatribo* tantam moram postulat neque ita semper accipitur in Scriptura. Ut patet Jn 11,54, praeter quam quod nonnulli ex iis [f.56] qui historiam Samaritanae aiunt in hieme contigisse, nihilominus hic de Pentecoste interpraetantur, ut D. Thomas<sup>71</sup>. Vide c.4, n.18, ubi etiam diximus de fundamento Jansenii<sup>72</sup>, nempe quod messis provenit in Palestina ante Pentecostem, nam si ita esset non esset verisimile sermonem hic esse

<sup>60</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, pag.178-224.

<sup>61</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil* 36. PG 59,203.

<sup>62</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev*, 5,1. PG 73,338.

<sup>63</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev. Jn*, 5,4. PG 123,1258.

<sup>64</sup> EUTHYMIIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,2. PG 129,1262.

<sup>65</sup> ALBERTUS MAGNUS, *In Ev Jn* 5,1. Ed. Vivès vol.24, 1899, p.197.

<sup>66</sup> THOMAS AQ., *In Ev. Jn*, c.5. Ed Vivès, t.19, p.833.

<sup>67</sup> PETRUS COMESTOR, *Historia Scholastica, in Evangelia*, c.81. PL198,1578.

<sup>68</sup> WALAFRIDUS STRABUS, *Glossa ordinaria*, Ev Jn c.7. PL 114,385.

<sup>69</sup> DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Enarratio in Ev sec Jn*, c.5. Opera omnia, Mostrolii 1901, t.XII, p.364.

<sup>70</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.175 D.

<sup>71</sup> THOMAS AQ., *In Jn Evangelistam expositio*, c.5. Ed. Vivès, 19,833.

<sup>72</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.226 A.

de Pentecoste. Vide Pererium in Daniel, l.11, q.7, f.361. —2º. Obiiciunt in Historia Evangelica<sup>73</sup> saepe festum Paschae appellari *festum simpliciter*, sicut videre est Lc 2,42 *secundum consuetudinem diei festi*, Mt 26,5 *non in die festo*, Jn 13 [1] *ante diem festum Paschae*; nusquam vero aut in Veteri Testamento aut in Novo Testamento reperitur aliud ullum festum praeter Paschae appellari diem festum simpliciter.

Respondeo Joannem eodem modo dicere c.7 [2] *erat in proximo dies festus iudeorum Scenopegia*, sicut c.13 ait *ante diem festum Paschae*, et saepe in eo capite Scenopegia appellatur dies festus absolute et cum articulo, et non est maior ratio de Scenopegia quam de Pentecoste. Et quidem si Evangelista anthonomastice loqueretur de die festo certum est de Paschate intelligi, sicut nos de festo Corporis Christi intelligimus cum dicimus el día de la fiesta, sed non videtur in praesenti anthonomastice accipi, quia in graeco non habet articulum, et eum habet Lc 2,42 et Mt 26,5 et Jn 6,4 ubi evidens est sermonem esse de Paschate.

—3º. Obiiciunt traditionem esse Patrum, ex Evangelio Joannis evidenter colligi Christum post baptismum quatuor egisse Paschata, quod si hic *dies festus* quem nominat hic Joannes non fuit Pascha, Christus non egisset nisi tria commemorata: 1<sup>um</sup> c.2; alterum c.6; et 3<sup>um</sup> c.13,18 et 19, ex quo efficeretur Christum non praedicasse nisi duos annos, contra auctoritatem Ignatii<sup>74</sup> martyris testantis praedicasse tres integros annos; et sequeretur etiam, contra communem opinionem, Christum non vixisse 33 annos, cum sit baptizatus initio trigessimi. Quod vero ex Evangelio Joannis colligantur quatuor Paschata auctores citant Eusebium, l.8 *Demonstrationum*<sup>75</sup> et in *Chronicis*<sup>76</sup>; Epiphanius<sup>77</sup>, haeresi 51; Hieronymum<sup>78</sup> et Theodoretum<sup>79</sup>, Danielis 9. —**Respondeo 1<sup>um</sup>**, Hieronymum ibi nihil asserere sed referre sententiam Eusebi dicens Christum praedicasse secundum Evangelium Joannis tribus annis et sex mensibus, et similiter statim refert sententiam Apollinarii Laodiceni qui ex Joannis Evangelio ait solum colligi tria Paschata quae efficiunt duos annos ab initio praedicationis Christi. Et eadem videtur esse Epiphanii<sup>80</sup> sententia haeresi 51, ait enim Christum passum esse 3º Paschate ab initio praedicationis. Fateor ergo Eusebium et Theodoretum per diem festum intellexisse in praesenti Pascha, sicut etiam Irenaeus<sup>81</sup> l.2,

<sup>73</sup> JUVENCUS, *Evangelica Historia*, l.4, vers.600, nota. PL 19,328.

<sup>74</sup> IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Epistola ad Trallesios (interpol.)*. PG 5,794.

<sup>75</sup> EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Demonstratio Evangelica*, l.8. PG 22,626.

<sup>76</sup> EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Cronicon*, l.2. PG 19,535. Appendix ad Eusebii chronicon, l.8. PG 19,819.

<sup>77</sup> EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, haer.51. PG 41,931s.

<sup>78</sup> HIERONYMUS, *Commentar. in Danielem prophetam*, c.9. PL 25,572.

<sup>79</sup> THEODORETUS CYRENSIS, *In Danielem* 9,27. PG 81,1483.

<sup>80</sup> EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, haer.51. PG 41,938.

<sup>81</sup> IRENAEUS, *Contra haereses*, l.2, c.27. PG 7,783.

c.39. Sed haec non est communis traditio Patrum quia plures sunt ex adverso, nimirum Chrysostomus, Cyrillus<sup>82</sup>, Epiphanius, Theophylactus<sup>83</sup>, D.Thomas<sup>84</sup>, etc. —**Respondeo 2º**, non oportere ut omnes qui numerant tres integros annos praedicationis Christi intelligent hic per diem festum Pascha, quia multi credunt integrum annum fluxisse inter Baptismum et miraculum conversionis aquae in vinum, in qua opinione non solum non decesset aliquod pascha sed etiam haberemus quinque paschata praedicationis Christi si dies iste festus esset Pascha, nam iam non esset 1<sup>um</sup> sed 2<sup>um</sup> Pascha quod habetur Jn 2, et 3<sup>um</sup> hic, et 4<sup>um</sup> c.6, et 5<sup>um</sup> c.13. Quod si dicas eam opinionem a nobis esse reiectam, et adhuc velis Christum plus quam tres annos praedicasse, dicam Joannem non fecisse singulorum paschatum mentionem, sed eorum quae occurrerant in iis quae ipse narrabat, ut sentit Irenaeus supra, dum adeo asseveranter aetatem Christi extendit usque ad senectutem<sup>85</sup>, et in eo quidem convincitur errasse, non tamen constat Joannem nullum omisisse pascha.

[f.56v]

4. —**Respondeo 3º**, Joannem nullum omisisse Pascha, sed Christum in 3º praedicationis Paschate obiisse, ut expresse aiunt Epiphanius<sup>86</sup> et Apollinaris supra. (Nota praeterea adhuc verum esse quod ait B. Ignatius Christum tribus annis praedicasse, non tamen omnino integris.) Atque hoc belle convenit cum ea opinione quam tanquam certissimam late probant Pererius in Daniele, l.11, q.7, nimirum Christum esse mortuum cum ageret annum 33, et idem late Abulensis, c.11, in defensorio, parte 2, c.15, et Joannes Lucidus et multi astronomi, ex eo quod eo anno et non proxime praecedentibus nec sequentibus accedit lunam primi mensis in diem veneris ut opus est ad hoc ut Christus passus sit luna 15 et feria 6, ut constat ex Historia Evangelica<sup>87</sup>. Et dico cum hac opinione recte convenire quod Christus obierit in 3º Paschate, quia quamvis hoc sit contra ipsum Pererium, satis tamen verisimile, ne dicam certum est quod Christus quando eiecit vendentes et ementes in 1º Paschate agebat iam annum trigessimum primum, atque adeo in 3º Paschate trigessimum tertium, unde evidenter colligetur diem festum quem hic memorat Joannes non esse Pascha, contra Jansenium<sup>88</sup>, si admittas antecedens. Pro quo vide quod refert Epiphanius<sup>89</sup> haeresi 51, de miraculo conversionis aquae in vinum mense ianuario atque adeo 30º anno Christi iam expleto, quia baptizatus

<sup>82</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 5,6. PG 73,338.

<sup>83</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn*, 5,1. PG 123,1258.

<sup>84</sup> THOMAS AQ., *In Jn Evangelistam expositio*, c.5. Ed Vivès, 19,833.

<sup>85</sup> IRENAEUS, *Contra haereses*, l.2, c.22. PG 7,785s.

<sup>86</sup> EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, haer.51. PG 41,927.

<sup>87</sup> JUVENCUS, *Evangelica Historia*, l.4, vers.429, nota. PL 19,314.

<sup>88</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.226.

<sup>89</sup> EPIPHANIUS, *Adversus Haereses*, haer.51. PG 41,919.

fuerat prius agens annum 30<sup>um</sup>, ergo cum devenit ad mensem ianuarium expleverat eum. Porro auctoritas Epiphanii in hac re videtur omnino irrefragabilis quia ipse vidiit quod narrat de eius miraculi repetitione.

5. Porro, quod Christus non sit passus dum ageret annum trigessimum quartum sed trigessimum tertium, praeter superiores dictos et rationem astronomicam, tenent Evodius, Apostolorum discipulus, apud Nicephorum<sup>90</sup>, l.2, c.3; citatur Origenes in homiliis quas vocant in diversos; Orosius<sup>91</sup>, l.7, c.4; Eutropius. Et facit quod ex Phlegone citant Eusebius<sup>92</sup> et Origenes de maxima eclipsi quae accidit 18 Tiberii anno in plenilunio martii. Citatur etiam Petrus Comestor<sup>93</sup> in Historia Scholastica, 6; Brigitta, l.1 Revelationum, c.10; Lyra<sup>94</sup> et Burgensis<sup>95</sup> in Matheum; Marianus, Scotus, Isidorus, [f.57] iunior, Hermanus et Sulpicius in chronicis, Rogerius Bacho epistula ad Clementem V, Antoninus, Paulus Foro Sempronianus 2<sup>a</sup> parte, l.4 et 7. Praeterea D. Augustinus<sup>96</sup>, 2 De doctrina christiana c.28, Anastasius Nicenus in quaestionibus in Scripturam q.92, Isichius homilia in natali Domini, et latissime Abulensis. Praeterea D. Thoma<sup>97</sup> ad Ephesios 4, *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*, et 3p, q.46, a.9, 4<sup>um</sup>. Cano, l.11, c.3 et 5; Sotus<sup>98</sup>, d.43, q.2, a.3 fine, et d.44, a.4; et communis recentiorum.

Sed contrariam sententiam, nimirum quod Christus passus fuerit anno aetatis 34 tenet Beda<sup>99</sup>, libro de ratione temporis, c.46, et episcopus Ilerdensis, et Benedictus Arias, Gerardus Mercatus, Onuper 2 fast probat ex Dionysio Exiguo, abate romano; Albertus Magnus, Gerlardus, Joannes de Monterejo, Campanus, Lucas Gauricus; et probari potest ex eo quod Eusebius<sup>100</sup>, Isidorus et Sulpicius in Chronicis aiunt Christum passum esse anno Tiberii 19. Item ex eo quod Christus post baptismum a multis traditur praedicasse plus quam tribus annis, ut ab Eusebio<sup>101</sup>, Cajetano<sup>102</sup>, Cano, Jansenio.

<sup>90</sup> NICEPHORUS CALLISTUS, *Ecclesiastica Historia*, l.2, c.3. PG 145,758.

<sup>91</sup> PAULUS OROSII, *Adversus paganos historiarum libri septem*, (de eclipsi), l.7, c.4. Coloniae 1561, f.294.

<sup>92</sup> EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Demonstratio evangelica*, l.10. PG 22,754s.

<sup>93</sup> PETRUS COMESTOR, *Historia Scolastica, in Evangelia*, c.33. PL 198,1554.

<sup>94</sup> *Glossa ordinaria*, Mt 27,45. PL 114,175.

<sup>95</sup> PABLO DE SANTA MARIA, EPISC. BURGAL., (Salomon ben Levi), v.PL113,35-62.

<sup>96</sup> AUGUSTINUS, *De doctrina Christiana*, l.2, c.28. PL 34,55.

<sup>97</sup> THOMAS AQ., *In Epist. Ad Ephes.* 4. Ed Vivès 21,311s; 3p, q.46, a.9, 4. Ed Vivès 5,231.

<sup>98</sup> DOMINICUS SOTO, O.P., *In Quartum Sententiarum*, d.43, q.2, a.3. Salmanicae,1560, p.426. d.44, a.4, p.451.

<sup>99</sup> VENERABILIS BEDA, *De temporum ratione* c.47. PL 90,495.

<sup>100</sup> EUSEBII CAESARIENSIS, *Cronicorum* l.2. PG 19,535.

<sup>101</sup> EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Demonstratio Evangelica*, l.8. PG 22,626.

<sup>102</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment. In Jn Ev*, 8,57. Lugduni 1639, p.354.

6. Pro concordia nonnulli aiunt primum annum Christi non continere nisi 8 dies quia natus est 25 decembris, et ea ratione dici volunt quod agebat annum 34 quando non perfecerat integrum annum nisi 32. Et probant quia indiferenter dicimus anno Domini 1587, vel anno a Christi Nativitate, vel anno ab Incarnatione Domini 1587. Et galli, angli et genuenses de more habent numerare ab Incarnatione non annum usualem ut nos, sed integrum a 25 Martii atque ita in mense ianuario et februario numerant (ut aiunt) annum v.g. 87 ab Incarnatione quando nos numeramus 88 a Nativitate, de quo vide Covarrubias, 1 *Variarum*<sup>103</sup>, c.12, n.2, sed haec concordia nescio quam sit solida, nam pisani (ut ferunt) numerant 87 ab Incarnatione quando nos numeramus 88 a Nativitate, et magis verisimile est illos 7 dies a 25 decembris usque ad finem anni pro nihilo reputari quam ex eis computari integrum annum, ita ut Christus v.gr. In Baptismo dicatur agere trigessimum quando non perfecit nisi 28. Praeterea haec concordia non videtur cohaerere cum computatione astronomica, secundum quam dicitur quod in anno quam nos numeramus 33 incidit plenilunium primi mensis in diem veneris et non antea neque postea per aliquos annos, quod, si ita est sequeretur Christum quando passus est non perfecisse nisi 31 annum, quod ab omnibus exploditur. (Vide novam opinionem Josephi Scaligeri.)

7. Alii aiunt annum hebraeorum confici ex 12 mensibus lunaribus, qui menses habent alternatim 29 et 30 dies, et sic duodecim lunae conficiunt 354; at duodecim menses romani habent amplius 11 dies cum quadrante, ex quibus 11 diebus per 33 annos Christi fiunt dies 363, atque ita 33 anni romani efficiunt plus quam 34 hebreos. Verum neque hoc satisfacit quia quamvis hebrei conficerent annum ex mensibus lunaribus nihilominus nec erat per supplementa dierum vel mensium aequare suam numerationem cum romana, v.g. interponendo quarto quoque anno integrum mensem, (sicut nos interponimus diem quinto quoque anno ut nostros annos cum solaribus conformemus) alioqui perpetuo variaret tempus messis, Paschatis, hiemis, ... que una vez cayera en marzo y otras en agosto, unas veces la Pascua en tiempo de frío y otras de estío etc.

8. **Dico** ergo non videri firmum argumentum illud de computatione astronomica. —1º, quia forsam ratio mensis intercalaris efficiebat ut luna quae computabatur eo anno pro luna martii pertineret [f.57v] proprie ad aprilem vel februarium, et non potest satis constare an luna illa cuius dies decima quinta incidit in diem veneris sit 1<sup>a</sup> luna post equinoctium vel 2<sup>a</sup> vel ultima anni praecedentis.

<sup>103</sup> DIEGO DE COVARRUBIAS, *Variarum resolutionum* I.1, c.12, n.2. Lugduni 1586, p.212.

—2º, quia non est exploratum quem diem appellabant iudei 1ºm diem lunae nam fortasse si v.g. coniunctio lunae cum sole accidebat post diem jovis 2ª hora noctis, nescimus an dies jovis sit 1ºm lunae vel dies veneris. Praetera Onuphrius ait Christum fuisse passum decima octava luna primi mensis numerando lunas a coniunctione lunae cum sole, quia illa erat 15ª numerando a corniculari apparitione ipsius lunae unde solebant iudei secundum antiquam traditionem menses suos auspiciari.

—3º. Quanvis constaret iudeos appellare semper lunam martii eam quae prima contingit post aequinoctium, et numerare ab instanti coniunctionis lunae cum sole, adhuc tamen varietas poterat contingere in assignatione diei aequinoctii et hinc pendebat an coniunctio aestiva lunae cum sole sit 1ª huius anni vel ultima praecedentis.

9. Merito ergo diximus non satis constare an dies festus de quo hic loquitur Joannes sit Paschae vel Pentecoste vel Scenopegia aut aliud festum hiemale quemadmodum censem Canus et Cajetanus<sup>104</sup> quamvis, ut verum fatear nulla mihi minus opinio probatur quam ea quae intelligit de Pentecoste, quia non obstantibus supra dictis videtur ex c.5 Josue constare quod messis proveniebat ante Pentecostem in Palestina, imo quod incipiebat tempore Paschatis.

10. *Est autem Hierosolymis probatica piscina quae cognominatur hebraice Betsaida.* De varia huius loci lectione late et optime Franciscus Lucas<sup>105</sup> in suis annotationibus et quidem quod piscina esset in probatica vel ad probaticam portam vel juxta locum ubi oves servabantur. Tradunt in suis descriptionibus Terrae Sanctae Brocardus, Montanus, Adricon et plerique juxta eam lectionem quam sequuntur recentiores, nempe Erasmus<sup>106</sup>, Pagninus, Cajetanus<sup>107</sup>, Clarius, Jansenius<sup>108</sup>, Sixtus<sup>109</sup> etc. (Y dicen que a la mano derecha había otra piscina mayor un poco más abajo, quam fecit Ezequias etc.) Forsam ipsa piscina appellatur probatica eo quod esset juxta portam probaticam. Verum multo verisimilius est *to probatica* esse adiectivum piscinae; cur autem piscina alibi vertitur natatoria appellata sit *pecualis* nota est ratio ex D. Hieronymo, de locis hebraicis, nempe quia ibi pecudes lavarentur, neque huic rationi obstat quod de conchis dicitur 2

<sup>104</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment. In Jn Ev.5,1.* Lugduni 1639, p.316.

<sup>105</sup> FRANCISCUS LUCAS BRUGENSIS, *In Sacros. 4 J.C. Evangelia, Jn 5.* Antverpiae 1612, p.248.

<sup>106</sup> ERASMUS DE ROTTERDAM, *Versio Novi Test In Ev Jn c.5, nota.* Lugduni 1705, t.6, col.357.

<sup>107</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev, 5,2.* Lugduni 1639, p.316.

<sup>108</sup> JANSSENS, *In Concordiam,* Lugduni 1580, p.227.

<sup>109</sup> SIXTUS SENENSIS O.P., *Bibliotheca Sanctae,* libro 7, haeresi 5. Ed.1576, p.648.

Paralip. 4, nam ut bene ait Lyranus<sup>110</sup>, primum victimae abluebantur extra Templum a nathinaeis, deinde iterum a sacerdotibus in atrio quando erant offerendae. Porro fictum et minus appositum videtur quod ait Sextus<sup>111</sup> nempe hanc piscinam seu lacum exstructam esse ut esset receptaculum aquarum quae fundebantur ex Mari AEneo in quo lavabantur sacerdotes et ex conchis in quibus lavabantur victimae et confluebant per subterraneos meatus. Deinde nota fortasse piscinae nomen metonimice poni contentum pro continente, id est pro illa domo, pertodochio vel edificio ubi erat illa piscina tanto miraculo insignis, atque ita convenit ut hebraice appellata sit Bethesda id est, domus misericordiae, sicut in nostro idiomate el hospital de la Caridad, el de la misericordia. Et quamvis Betsaide nomen videatur magis convenire cum aetimologia piscinae sed neque proprie Betsaida est domus piscium sed potius domus venationis neque hic in eo rigore videtur nomen piscinae accipiendum sed inolevit apud latinos ut magna aquarum receptacula piscinas appellant. De magnitudine vero ipsius latius traditur in descriptionibus Terrae Sanctae longitudine fuisse 200 fere pedes, latitudine 60, profunditate 30. Et nunc aiunt non continere aquam eo quod defluat per imum foramen.

[f.58]

11. Circa miraculum illud quod contingebat in piscina multae occurunt quaestiones, nempe quis esset ille angelus qui descendebat in eam, quoties et quando descenderet, et an ibi semper expectarent aegroti; quomodo ea virtus primum innotuit, et postea quomodo animadvertebant aegroti angelum descendisse, quos morbos sanaret aqua piscinae et quomodo angelus poterat tantam virtutem aquae tribuere; quando coepit et deficit hoc miraculum et quis fuerit divinae providentiae finis in eo, et quae praecipua significatio. De his omnibus nihil habeo praeter ea quae facile invenies in Jansenio<sup>112</sup> et aliis. Solum nota ex Josephi historia constare quod eo tempore iam nihil eiusmodi contingebat in piscina, quia alioqui proculdubio fecisset eius mentionem praeter quam quod non est verisimile Deum cultu iudaico abrogato adhuc miraculosam eius religionis confirmationem praebuisset cum potius verisimile sit propterea nonnulla certa miracula ei populo fuisse concessa ut quando per Evangelii promulgationem in controversiam veniret an ablatum esset a iudeis regnum et translatum ad gentes, esset inter alia miraculorum cessatio signum quod iam esset ille populus a Deo derelictus. Quod si contra obiicias miraculum fluminis

<sup>110</sup> WALAFRIDUS STRABUS, *Glossa ordinaria*, 2 Paralip 4,6. PL 113,672.

<sup>111</sup> SIXTUS SENENSIS, O.P., *Bibliotheca Sancta*, libro 7 haer.5. ed.1576, p.650.

<sup>112</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.227.

sabbatici quod narrat Josephus<sup>113</sup> I.7 De bello iudaico, c.24, et perseverabat post eversionem Hierosolimae. Respondeo aut illud factum fuisse occulta naturae vi sicut multa valde mirabilia contingunt, ut septem aestus Euripi, aut si omnino erat supra naturam eo potius signo favebat divina providentia christiana religioni adversus iudeorum observationes, nam flumine sabbatis solum decurrente et sex aliis diebus quiescente significabat ut ego interpraetor sabbatum verum relictum esse populo Dei et iam illius diei singulare quietem et otium fuisse abrogatum quandoquidem Deus qui alias operatus erat sex diebus et septimo quieverat, iam contra in eo miraculo sex diebus quiescet et septimo operabatur. Ut posset christianus cum Christo dicere *Pater meus modo operatur et Ego operor.*

12. Quod attinet ad factum Christi quod hic narratur praedclare multi, sed in explicando contextu sequentis concionis maiorem desiderarem diligentiam. Incipit ergo Christus et ait *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Alludit Dominus ad relationem Exodo 20 [10], ubi dicitur sabbato no esse operandum, quia eo die requievit Deus ab opere suo. Quasi diceret: si putatis me male fecisse quoniam sabbato Deus requievit ab opere, ego contra dico me non posse a vobis accusari quin simul accusetis Deum, non enim potestis negare quin liceat Filio imitari Patrem. Ergo cum ille non casset in sabbato ab operibus divinis non debetis mihi vitio vertere quod eadem ego faciam in sabbato. Vel clarius ea quae sunt divinae potestatis laudabiliter faint in sabbato nam quamvis cessaverit Deus a creatione, sed non ab omni operatione, nam hodie oriri facit solem suum et fontes fluere et plantas germinare. Ergo usque modo operatur Deus. Eo igitur modo quo operatur ille operor ego, nec enim potestis negare quin divinae virtutis sit opus quod feci; aut igitur accusate Deum, aut mihi sicut et illi gratias agite. Sunt qui aliter connectent nimirum, hoc opus est divinar virtutis, ergo factum est a Deo, ergo Deus modo operatus est, cur ergo me reprehenditis qui simul cum illo operatus sum? Verum quamvis ex unitate divinae virtutis et ex eo quod opera ad extra sunt communia necessario sequatur id ipsum numero quod facit Pater facere Filium et e converso, tamen ex contextu probabilius est Christum non in eadem operatione argumentari sed in simili et in ea quae similiter est divinae virtutis attribuens Patri conservationem et administrationem universi, et sibi attribuens similem divinae virtutis ostensionem in qua sicut usque modo Pater operatur conservans mundum ita Filius similiter operetur conservans hominem et ei sanitatem restituens.

[f.58v]

13. Quod si malis ut in eadem numero operatione dicantur Pater et Filius operari, salten id non videtur intelligendum in praesenti de operationibus

<sup>113</sup> Fl. JOSEPHUS, *De bello iudaico*, 1.7, c.24. Basileae 1554, p.809.

a principio mundi factis a tota Trinitate, quia in his non videtur vere posse contextus intelligi, nimirum quod Filius operatur eadem quae videt Patrem facientem propterea quod *Pater diligat Filium et ostendat ei quaecumque facit*. In hoc contextu valde laborant interpraetes dum explicare volunt de Christo qua Deus est in omni operatione quam per ipsum tanquam per suum Verbum facit Pater. Et quidem, in eo sensu, mihi non solum videtur textus difficilis sed etiam omnino inintelligibilis, quia nullo modo verum est Verbum propterea creasse quia videbat Patrem creantem, et propterea Patrem ei ostendisse suam operationem quia diligebat Verbum tanquam Filium suum. Sed ait D. Thomas<sup>114</sup> non poni dilectionem ut causam sed ut signum a posteriori, sed eo modo ego prorsus nescio ordinare contextum. Neque etiam placet explicatio Cajetani<sup>115</sup> et Jansenii<sup>116</sup> dum aiunt in Deo quidem non esse causam et effectum sed si essent, tunc dilectio esset causa quod Pater Filio omnia demonstraret; sed contra est quod in divinis Patrem Filio demonstrare est tribuere ei essentiam per generationem, ut aiunt Augustinus<sup>117</sup> et Cyrillus<sup>118</sup>, non potest autem dilectio intelligi ut ratio huius communicationis quia non est ratio generationis.

14. Ab iis et ab aliis difficultibus facile se expediet qui voluerit contextum explicare in iis operationibus quas divinitas operatur per Christi humanitatem tanquam per instrumentum coniunctum, in iis enim verissimum est nihil prorsus facere nisi prius videat id facere Patrem, scilicet velle et imperare: Deus enim non aliter facit nisi volendo et imperando; omnia ergo quae ad hominum salutem spectant decrevit post incarnationem Verbi Deus facere per Christum hominem atque ita non ait Christus omnia quae fecit Pater, sed omnia quae deinceps fecerit eadem ego similiter faciam per eandem divinam potestatem mihi communicatam; quod vero omnia velit Pater facere per Me, id provenit ex eo quod me summe diligit, nam dilectio Dei Patris erga Christum hominem est causa quod eum faciat omnium suorum consiliorum conscientiam et cooperatorem, atque ita demonstrare ei consilium suum est ei rem totam committere, et quamvis ab instanti conceptionis sint ei omnia commissa vere tamen et apte singula dicuntur Christo committi quando facienda sunt atque ita dixit Christus maiora mihi demonstrabit Pater, nempe mortuorum suscitationem etc enseñarame a resuscitar muertos y dar vida a cuantos a mí me pareciere, vel corporaliter vel spiritualiter, neque enim Pater judicat

<sup>114</sup> THOMAS AQ., *In Jn Evangelistam expositio*, c.5. Ed Vivès, 20,4.

<sup>115</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, 5,19. Lugduni 1639, p.319.

<sup>116</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.232.

<sup>117</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev. tract.* 21, 23. PL 35,1565,1590.

<sup>118</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.* 5,17. PG 73,347.

quemquam sed omne judicium dedit Filio. Nota hic judicium significare regiam potestatem et universam mundi gubernationem, in quo sensu judicis est vivificare et occidere. Optime ergo explicatur cur ad Christum pertineat vivificare quos voluerit, quia iam sceptrum et imperium mundi delatum est illi adeo ut videatur Deus non per se judicare sed per Christum, sicut in Egipto olim apte diceretur non iam Pharaonem sed Josephum esse gubernatorem Egipti. Et vide hic Jansenium<sup>119</sup>.

(El haberle de dar después mayor potencia forsam id est demonstrabit Pater el estar dependiente del concurso de su Padre hace que con propiedad diga demonstrabit, Él me enseñará.)

15. Iste sensus probatur —1º, quoniam Christus quatenus Homo fecerat illud opus quod iudei calumniabantur, atque ita magis ad rem erat agere de se tanquam de Homine cui erat divina potestas collata. —2º, quoniam Christus ita frequenter loqui solet, ut c.7 *mea doctrina non est mea sed eius qui misit me Pater; et a me ipso facio nihil sed sicut docuit me Pater*, etc. —3º, quoniam *demonstrare et docere* valde proprie accipiuntur a nobis, de Filio vero quatenus Deus est non ita proprie dicitur a Patre doceri. Et facit pro nobis *interlinealis*, cuius verba sunt Filius secundum hoc quod est Homo nihil potest nisi quod Pater dat et docet. —4º, illa verba *et maiora ei demonstrabit* aperte fatetur Augustinus<sup>120</sup> de Christo Homine intelligi; ergo caetera etiam ut contextus cohaereat. [f.59] S. Cyrillus<sup>121</sup> fatetur verba sequentia: *opera ipsa testimonium perhibent de me quod Pater misit me*, posse de Christo Homine intelligi; ergo similiter caetera.

16. Sed contra hanc expositionem obiicies —1º, in hoc sermone omnino sibi attribuere aequalitatem cum Patre, ut vel ipsi iudei intellexerunt; ergo non loquitur de se ut Homo est sed ut Deus. Et confirmatur ex toties repetito nomine Filii Dei, et ex illa dictione *similiter* cum ait *quaecumque Pater operatur haec eadem Filius similiter facit*; sed per humanitatem non operatur similiter ac Pater sed per divinitatem, ergo etc. —2º: illa verba sequentia: *sicut Pater habet vitam in semetipso sic dedit Filio habere vitam in semetipso*, omnino intelliguntur in divinitate; ergo similiter caetera, ut contextus cohaereat.

Ad —1º Respondeo ex Sacra Scriptura constare Christo etiam quatenus Homo est competere divinitatem, alioqui non diceretur in Apocalipsi *dignus est agnus qui occisus est accipere divinitatem*, neque Paulus ad

<sup>119</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, c.36, p.235.

<sup>120</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev. tract.23. PL 35,1590.*

<sup>121</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 5,36. PG 73,410.

Rom 1 *praedestinatum fuisse a Deo* ut Christus oriretur ex mortuis Filius Dei; quibus quidem phrasibus, ut dicebamus ad Rom 1, significatur summa potestas et universalis monarchia et imperium quae Christo Homini collatae sunt et quamvis huius sceptri maiestas multo amplius collata sit Christo in resurrectione quam antea, qua fortasse ratione ipse dixit maiora sibi postea fore demonstrata, nihilominus sicut futuri reges appellantur principes et habent iam futurae potestatis quandam inchoationem, et per eam vere loqui possunt de sua plenitudine potestatis, ita Christus qui iam erat designatus universi imperator ante coronationem de sua loquitur maiestate, potentia et imperio per quae praecisa per intellectum hypostatica unione nihilominus habet Christus cum Patre quandam aequalitatem in nomine divinitatis quod potius designat officium quam naturam, id nempe officium quod est proprium Dei et consistit in dominatu, gubernatione et imperio universi. Atque ita existimat Jansenius<sup>122</sup> iudeos non intellexisse Christum loquutum fuisse de aequalitate naturae sed de aequalitate potestatis cum se Filium Dei appellavit et significavit se etiam esse dominum sabbati sicuti Deum, atque adeo posse in lege sabbati dispensare et in sabbato operari quemadmodum Deus in sabbato operatur. Et haec est illa similitudo quae importat illud adverbium *similiter*, nam divinae naturae non est Filius similis Patri sed idem omnino.

—Ad 2<sup>um</sup>, consequenter dico humanitatem etiam Christi esse fontem vitae: sicut enim Deus ita est fons vitae ut non posit aliunde participari vita, ita nisi per Christi merita et influxum nemini contingat vita spiritualis de qua est sermo in praesenti, et quod Christus loquatur de se ut Homo est, patet ex ipso orationis filo, ait enim sibi datum *ut habeat vitam in semetipso et potestatem faciendi judicium quia Filius Hominis est*, quae quidem determinatio non minus respicit vitam quam potestatem, quasi diceret sibi quatenus Homini datum esse ut sit sanctificator et iudex. Et suppono ea quae hic Jansenius<sup>123</sup> affert, et quae Franciscus Lucas<sup>124</sup> in suis annotationibus de huius loci varia lectione. Vide etiam supra c.1, lectione 5, ubi de Vitae nomine et ratione. Praeterea nota explicationem Chrysostomi<sup>125</sup> non esse abs re, ait enim per nomen Vitae designari Hypostasim Filii, quae quia tributa est illi Humanitati propterea bene ait ille divinus Homo sibi datum esse ut habeat fontem vitae in semetipso et consequenter ut etiam quatenus Homo est habeat supremam potestatem. Qua etiam ratione convincitur ex hoc loco divina Christi natura et aequalitas Personae cum Patre nam etiam illa potestas suprema quae Christo Homini collata est supponit maiestatem Personae nec enim alioqui adeo sibi

<sup>122</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.235.

<sup>123</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.233.

<sup>124</sup> FRANCISCUS LUCAS BRUGENSIS, *In Sacro. J.C.Ev. Jn 5,27. Antverpiae* 1612, p.259.

<sup>125</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 39. PL 59,220.*

complaceret Deus in Christo ut ei subiiceret omnia et ei vellet ut sibi ab omnibus creaturis honorem deferri. (Decir que quatenus Homo est iudex es dar claro a entender que es más que Hombre. Sed nosti alium sensum, scilicet, ei inter divinas Personas datum esse judicem quia... etc.)

[f.59v]

**17. *Qui verbum meum audit in judicium non venit sed transit de morte ad vitam.*** Ego sic intelligo: dixerat sibi esse datam supremam potestatem et imperium super omnes et id judicii nomine significaverat, atque adeo intelligere poterat aliquis grave sibi iugum imponi dum cogitur Christo judici subiacere, docemur ergo eos qui Christo se subiiciunt non venire in judicium sed potius transire a morte in vitam, quasi diceret no es esto ser sojuzgados y avasallados sino pasar de un estado miserable a un estado felicísimo. Ita sequitur *venit hora et nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei et qui audierint vivent*. Tanta enim felicitas humano generi ex Christi imperio dimanat ut mortuis desperatis et afflictis, si eius voci audientes esse voluerint statim concedatur vita aeterna; est enim Christus fons vitae et potens judicium facere nempe vindicando nos de potestate mortis et inferni. Itaque cum dicitur *et potestatem dedit ei judicium facere quia Filius Hominis est*, fortasse potestas judicandi est potestas liberandi juxta usitatissimam phrasim Sacrae Scripturae, quamvis posit etiam in communi de supremo imperio intelligi. Et utrovis modo apte subiungitur nolite mirari hoc quod dixi de vivificatione eorum mortuorum qui adhuc corporaliter vivunt, quia ii etiam omnes qui in monumentis sunt et iam in cinerem reversi omnes audient meam vocem atque resurgent, quamvis non omnes in resurrectionem vitae sed qui bona egerunt in vitam, qui vero mala in judicium, id est, ut me durissimum judicem experiantur et condemnatorem. Et in proferenda quidem sententia justissimus ero quia non pro meo libito sed juxta allegata et probata et iuxta Dei voluntatem judicabo. Denique ab omni vel errore vel pravo affectu alienissimus. Cur altera appelletur resurrectio vitae etc, nosti. Est enim vita idem quod felicitas. Tria sunt in judice necessaria: legitima potestas, scientia et sinceritas affectus. Vide textum.

**18. *Si ego testimonium perhibeo de Me ipso***, etc. Quoniam de se grandia et magnifica dixerat ostendit irrefragabilibus testimentiis vera esse omnia, non enim (inquit) ego de me testificor sed alius de Me testificatur, scilicet Joannes Baptista, ut exponit Chrysostomus<sup>126</sup>, et ideo statim ait *vos misistis ad Joannem*. Cyrillus<sup>127</sup> de Patre intelligit, et utraque explicatio bene habet,

<sup>126</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 40*. PG 59, 230.

<sup>127</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev*, 5,31. PG 73,395.

sed illud est difficilior quomodo testimonium Christi de se posit non esse verum, praesetim cum c.8 dicat *si ego testimonium perhibeo de me ipso testimonium meum verum est.* —Respondeo 1°, in praesenti loqui Christum secundum opinionem iudeorum quasi diceret si ego de Me testificor statim vos diceretis testimonium meum non esse verum. Et favebat quod ipsi, c.8 dixerunt *tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Ita Chrysostomus<sup>128</sup>, Cyrus<sup>129</sup>, Theophylactus<sup>130</sup>, Euthymius, S.Thomas<sup>131</sup>, Interlinealis, Lyra<sup>132</sup>, Titelmanus atque Jansenius. —Respondeo 2°, Christum in praesenti loqui de suo testimonio a se ipso tanquam ab homine dicto et non ab alio prius profecto, quasi diceret si ego loquerer a me ipso non audiens prius a Patre neque ab eo accipiens quod dicturus sum nec eius voluntatem et gloriam quaerens, testimonium meum non esset verum, vel si solus ego de me ipso testificarer. Ita Cajetanus<sup>133</sup>, cui favebat contextus capituli octavi, ubi dicitur *si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est, est Pater meus qui glorificat me*, et postea *situs non sum, sed ego et qui misit me Pater, et in lege vestra scriptum quia duorum hominum testimonium verum est: ego testimonium perhibeo de me ipso et testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Quibus verbis rationem reddit illius dicti *etsi ego testimonium perhibeo de Me, testimonium meum verum est*, quasi diceret ideo verum est quia [f.60] non loquor a me neque solus sed ex Patre et cum Patre. Praeterea aliud est loqui de se et aliud loqui a se. De se non solum Christus sed alii muli possunt vere loqui, a se autem nullus vere loquitur; unde c.8 [44] ait Dominus: *qui loquitur mendacium ex propriis loquitur*; quod ita exponitur a S. Thoma<sup>134</sup>: solus Deus loquendo ex propriis loquitur veritatem, veritas enim est illuminatio intellectus, et Deus est ipsum lumen a quo omnes illuminantur, unde etiam est ipsa veritas, et alii non loquuntur veritatem nisi in quantum ab ipsis illuminantur, et ideo omnis veritas, a quocumque dicatur a Spiritu Sancto est. Sed non solum ait Christus se loqui a se ipso quia loquitur veritatem, sed potius ideo probat se loqui veritatem quia probare potest se ex Deo loqui.

19. ***Vos misistis ad Joannem.*** Quasi diceret: non potestis negare vos existimasse illius testimonium esse magnae auctoritatis, ille igitur rogatus a vobis quis esset, testificatus est veritatem, dicit enim se non esse Messiam

<sup>128</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS. *Homil 40.* PG 59, 229.

<sup>129</sup> Id. *Ibid.*, 394.

<sup>130</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev. Jn.* c.5, v.31. PG 123, 1275.

<sup>131</sup> THOMAS AQ., *In Jn evangelistam explanatio*, c.5. Ed Vivès 20,15.

<sup>132</sup> WALAFRIDUS STRABUS, *Glossa ordinaria*, c.8. PL 114,390.

<sup>133</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, 5,31. Lugduni 1639, p.322.

<sup>134</sup> THOMAS AQ., *In Jn evangelistam explanatio*, c.8,44. Ed Vivès 20,103.

sed praecursorem Messiae iam inter vos versantis. Ego autem reduco vobis in memoriam testimonium hoc Joannis, non ob meam utilitatem quia nullius hominis indigeo testimonio cum claritatem habeam apud Deum, sed ut hac ratione inducamini in cognitionem eius veritatis qua vobis opus est ad salutem. (La necesidad precisa del conocimiento de Cristo.) Erat ille quidem magnus vir quem vos merito magni fecistis, erat enim lucerna quaedam non suo sed lumine Dei accensa, ardens per internam charitatem et lucens per exteriorem doctrinam et vitae exempla, vos autem exultastis ad eius lucem, scilicet quod tantus doctor et propheta vobis datus esset, sed ad horam exultastis scilicet, por poco tiempo, cito enim eum contempnere coepistis dicentes daemonium habere verbis quidem eius minime credentes Mt 11, Lc 7. ((El ser un cirio que se va gastando en amor de Dios Eccli 26,22, sed identidem debet emungi et a ventorum flatibus custodiri, cerrada por abajo y abierta hacia el cielo, etc.)) *Venit enim Joannes nec manducans nec bibens et dicunt daemonium habet*, atque ideo recessit Joannes ex Iudea in Samariam et deinde in Galilaeam quia iam iudei non recipiebant eius testimonium. Ita intelligent haec verba ultima Chrysostomus 39<sup>135</sup>, Cyrillus, Jansenius et alii. Vide Cyrillum<sup>136</sup> 1.3, c.1, ubi optime haec exponit in laudem Joannis affirmat quidem de eo dictum esse illud Ps 131 [17]: *paravi lucernam Christo meo*, ubi lucerna in graeco ponitur cum articulo ut non quaevis lucerna sed eximia lucerna significatur. (Verus sensus eius phrasis constat 3 Reg 11 [36] et c.15 [4] et 2 Paral 21 [7]). Et de Joannis excellentia vide Ambrosium serm. 64<sup>137</sup>; Cyrillum, Catechesi 3; Augustinum, Ps 29, nihil (ait) est in genere humano maius Joanne, si quaeris quae sit summa hominis excellentia ipse est Joannes. Cyrillus, 2 Thesauri<sup>138</sup>, scribit Joannem pervenisse ad apicem perfectionis possibilem humanae naruae. Bernardus, sermone de laudibus Baptistae ait eum elevatum esse usque ad apicem seraphinorum.

**20. *Ego autem habeo testimonium maius Joanne.*** Ex graeco verti potest maius Joanne vel maius Joannis et ita legitur in aliquibus mss et videtur ad constructionem accommodatius, quasi diceret ego habeo testimonium maius Joannis testimonio. Sed in eundem sensum redit nostra lectio nam maius Joanne appellatur testimonium quod est maius seu gravius eo quod reddi poterat a Joanne, nempe testimonium operum seu miraculorum, et Scripturae Divinae auctoritas, et vox Patris in Jordane audita (nam Transfiguratio ad quam alii referunt nondum facta erat). Quod vero ait *vocem eius numquam*

<sup>135</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 40 (39)*. PL 59,231.

<sup>136</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev*, 1.3, c.1. PG 73,399.

<sup>137</sup> AMBROSIUS, *Sermo 51* (ant. 64). PL 17,732.

<sup>138</sup> CYRILLUS ALEXANDRINUS, *Thesaurus, Assertio 11*. PG 75,158.

*audistis neque speciem vidistis* perinde est atque id quod de mundanis dici solet no le han visto la cara a la virtud, sic ergo carnales et peccatores quamvis habeant fidem, tamen quia nolunt inspirationibus Dei attendere merito dicuntur numquam eius vocem audisse neque divini Verbi dulcedinem percepisse. [f.60v] Praeterea qui divinae sanctitatis amore tenetur videtur aliquo modo eam conspexisse et ex illius conspectu in amorem exarsisse et eiusmodi homini viso Christo necessario contingere ut in eius quoque amorem raperetur, et similitudinem inter Christi mores et divinam sanctitatem agnosceret et ei se totos crederent. Qui ergo illum spernebant, eo ipso satis declarabant se non agnoscere sanctitatem Dei quandoquidem Christo non credunt. Hunc esse sensum verborum Christi patet ex similibus verbis c.8 [19], *nec Me scitis nec Patrem meum, si Me sciretis forsitan et Patrem meum sciretis* et postea *si Deus Pater vester esset diligenteris utique Me, Ego enim ex Deo processi et veni, et postea [42] est Pater meus qui glorificat Me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum.* In his omnibus manifeste loquitur Christus de se quatenus Homo est, nam quamvis secundum divinitatem magis proprie sit figura substantiae Dei, tamen non obiiciebat oculis mortaliū nisi hominis figuram et tamen eos qui ei non credebant aiebat non agnoscere Deum. (Contra el concepto de que la presencia de Cristo estorbara.) Praeterea quamvis explicite iudei nossent in divinis esse Patrem non statim necesse erat ut Christum crederent esse Filium; ergo non vere diceretur eos non credere Christo quia nesciunt misterium Trinitatis. (*Qui videt Me videt et Patrem. Non credis quia ego in Patre et Pater in Me est?*) En fulano ver a fulano, porque es un traslado.) (*Et Verbum eius non habetis in vobis manens [Jn 5,38]* porque aunque tenían la palabra de Dios pero perdiéronla no creyendo en Cristo.)

**21. Scrutamini Scripturas.** Tam verbum graecum quam latinum ambiguum est potest quidem esse vel indicativi vel imperativi. Imperativi explicitant Chrysostomus<sup>139</sup> homilia 40, Theophylactus<sup>140</sup>, Euthymius<sup>141</sup>, Beda<sup>142</sup>, S.Thomas<sup>143</sup>, Lyra, Titelmanus. Indicative vero Cyrillus<sup>144</sup> in hunc modum, quasi diceret quid vobis prodest quod Scripturas evolvitis cum illae testificantur me esse vitam et salutem hominis et vos nolitis ad me venire ut hac vita potiamini. Porro quod ait in *Scripturis vitam aeternam habere*, dupliciter exponi potest —1º

<sup>139</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 41(40)*. PL 59,235.

<sup>140</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr. in Ev Jn 6,39*. PG 123,1279.

<sup>141</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *Comment in Jn, 5,39*. PG 129,1231.

<sup>142</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.5. PL 92,702.

<sup>143</sup> THOMAS AQ., *In Jn evangelistam explanatio*, c.5. Ed Vivès 20,19.

<sup>144</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 5,39. PG 73,419.

de vera existimatione vitae quae continetur in vera intelligentia et observatione verbi Dei. 2 ad Tim 3 [15] quae possunt instruere ad salutem. —2º, secundum Chrysostomum<sup>145</sup>, de falsa opinione, quasi diceret in quibus vos falso putatis vitam contineri cum illae indicent quidem vitam sed non praebeant, nisi ego. Regnum Dei, ait Paulus non est in sermone sed in virtute.

22. Scripturas ait antonomastice, quia alias scripturas non dignabantur scripturae nomine, imo scripturas ethnicorum nefas putabant legere, et scripturas in plurali dixit ut significaret non unam aliquam aut duas sed omnes fere Scripturae divinae libros testimonium perhibere de ipso.

*Si aliquis venerit in nomine suo illum recipietis.* Vide Bellarminum<sup>146</sup>, De romano pontifice, l.3, c.2, ubi de Antichristo intelligi probat loco primo.

23. **Nolite putare.** Non negat se accusatureros esse, ait enim Mt 10, 33 *qui negaverit Me coram hominibus negabo et Ego eum coram Patre meo.* Sed est sensus: etsi ego tacerem solus Moises sufficeret ut accusatione sua vos damnaret. Similis locus est Jn 16 [26] *non dico vobis quia Ego rogabo Patrem de vobis, ipse enim Pater amat vos,* id est orabo quidem pro vobis sed etiamsi Ego tacerem Pater ipse vobis benefaceret. Porro vide Augustinum<sup>147</sup> 16 contra Faustum, a c.16 usque ad finem ubi ostendit contra errorem Fausti multa scripsisse Moisem de Christo. Vide etiam Sextum Senensem<sup>148</sup>, 1.7 Bibliothecae Sanctae, haeresi 5, in 3ª obiectione, et eius responsione.

24. **Si enim non crederetis Moisi** etc. Hic occurrit difficultas quomodo Christus iudeis obiiciat eos non credere Moysi cum in eius Scriptis illi putarent se vitam aeternam habere. Respondebit forsitan quis fortasse non omnes iudei credebant iis quae de Messia scrpsit Moises. Verum hoc non est probabile cum omnes Messiam avide spectarent et prophetias de illo scriptas memoriter tenerent et miserint ad Joannem ut interrogarent an ipse esset Messiam. Ergo vel ex isto loco convincitur quod credere non semper significat nudam fidem sed vivam quae debitus exsus— [f.61] citet affectus et debita opera secum afferat. Sensus ergo est: si verbis Moisi crederetis eo modo quo credenda sunt verba Dei, et nihil auderetis contra eius legem facere neque oculos vestros claudere ad quae ex eius scriptis colliguntur, crederetis utique mihi, sed nimirum credentes in communi vera esse quae ille scripsit non vultis sincero animo et a pravis affectibus libero expendere

<sup>145</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 41(40).* PG 59, 235.

<sup>146</sup> R.BELLARMINUS, *De summo Pontifice*, l.3, c.2. Ed. Vivès, 1870, t.2, p.8.

<sup>147</sup> AUGUSTINUS, *Contra Faustum manichaeum*, l.16, c.16-33. PL 42,325-340.

<sup>148</sup> SIXTUS SENENSIS, O.P., *Bibliothecae Sanctae*, 1.7, haer.5. ed.1576, pp.647,649.

quid in hac re colligatur ex Sacra Scriptura. Hanc ergo vel pertinatiam vel stultitiam appellat Sacra Scriptura incredulitatem ut ex multis locis patet, atque verissime ait omnes qui recte credunt consequi salutem aeternam, ut Mc ultimo: *qui crediderit et baptizatus fuerit* [Mc 16,16]. Jn 3 fine: *qui credit in Filium Dei habet vitam aeternam*. Ita dum Mc 9 [23] dicitur: *si credis, omnia possibilia sunt credenti*, utique non solum exigit intellectus persuasionem sed etiam venerationem tantae maiestatis illi fidei congruentem, et eum denique credendi modum quo aegrotus dicitur medico credere cum ei se curandum permittit certus facere quod ille iuserit, et certam ab eo sperans sanitatem, nam si eius deserat consilium non mirum est quod dicatur ei non credere.

**25. *Crederetis forsitan et mihi.*** Erasmus<sup>149</sup> et Cajetanus<sup>150</sup> dicunt delendum esse illud *forsitan*, quoniam non est in graeco et facit dubium quod Dominus habere voluit. —Dico 1º: in graeco esse dictionem *an*, quae cum verbis adiungitur sive praeponatur sive postponatur potentialis est (ut aiunt) de quo videndi sunt in suis grammaticis Theodorus Gaza et Urbanus et Vergara l.3, c.28, et praesertim in scoliis, et Budaeum in comentariis linguae graecae. —Dico 2º: eam potentialitatem quanvis in re non includat dubitationem sed in forma loquutionis p[re]se ferre non nihil ambiguitatis. —Dico 3º: eam dictionem aliquando non verti et aliquando verti per affirmationem et aliquando per dubitationem quae tamen aequivalet affirmationi, ut Ps 50 [18] *Si voluisses sacrificium dedissem utique gr ἔδωκα ἄν*, et Ps 54 [13] *sustinuisse utique et statim abscondisse me forsitan ab eo*: utrobius est ἄν. Jn 4 *tu forsitan petiisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam*: utrobius etiam ἄν. Vide etiam Jn 8,19 et 42. Omnia haec loca expositores graeci intelligunt asseveranter et sine dubitatione; ergo particula *forsitan* non ad dubitationem sed ad formam verbi potentialis referri debet, quae exprimitur a Budaeo eleganter per celebre dictum cuiusdam graeci qui de quodam ait: *et si non fecit, fecit an*, id est *harialo*, id est eiusmodi est ingenio ut sine dubio facturus fuisset creditur si occasio suppeteret, etc.

## Caput 6

1. Circa tempus quod designat Evangelista non videtur Cyrillus<sup>151</sup> legisse nomen Paschatis, explicat enim de die festo Tabernaculorum cuius meminit Evangelista c.7 [2]; sed omnes codices et caeteri omnes interpraetes

<sup>149</sup> ERASMUS DE ROTTERDAM, *Versio Novi Test In Jn Ev c.5,46, nota.* Lugduni 1705, t.6, col.362.

<sup>150</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, 5,46. Lugduni 1639, p.325.

<sup>151</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 6,1. PG 73,435.

constantem legunt ut nostra lectura habet, erat autem proximum Pascha atque ita nulla ratione dubitandum est quin bene habeat nostra littera. Imo ex hoc fundamento colliguntur anni quibus Christus praedicavit, de quo supra, c.5, n.3, quia si Pascha *proximum erat*, ergo non est admodum verisimile quod significat Augustinus in sermone de Epiphania, in principio, nimirum hoc miraculum multiplicationis factum fuisse a Christo sexta die Januarii, id est ipso die Epiphaniae. De tempore vero intermedio inter caput 5<sup>um</sup> et 6<sup>um</sup> quod Joannes praeterivit et cur narret hoc miraculum quod erat a caeteris Evangelistis accurate descriptum, bene multi. (El hacer S. Juan mención de la Pascua deservit ad ordinem Historiae, ad temporis convenientiam ut in deserto eos invitaret tempore nec calido nec frigido; praeterea ut intelligatur quod ait quod *erat multum foenum*, id est, yerba. Praeterea ad spiritualem sensum ut transeat a mundi deliciis qui vult spirituali et coelesti cibo refici. Praeterea ad figuram Eucharitiae eodem tempore instituendae.) [f.61v]

Notat Cajetanus<sup>152</sup> hoc miraculum multiplicationis factum fuisse statim post mortem Joannis. Idem docet Augustinus<sup>153</sup>, *De consensu Evangelistarum*, c.45, Beda<sup>154</sup>. Et significat Hieronymus<sup>155</sup>, Mt 14, et Chrysostomus, in Mt homilia 50. Ex hac sententia sequeretur Joannem non fuisse decollatum extremo Augusti, ut celebrat Ecclesia, sed prope Pascha. Argumenta huius opinionis et validam impugnationem vide in Jansenio (*Historia scolastica*).

2. Nota idem esse mare Tyberiadis quod mare Galileae et stagnum Genesareth. Et quidem quod appelletur *mare*, id provenit ex linguae hebraicae phrasi in qua congresiones aquarum appellantur *maria*; et ex provincia quidem appellatur mare Galileae, et ex civitatibus etiam quas abluit varia sortitur vocabula; habet autem quattuor opida praecipua in littore citeriori sive occidentali, nempe in superiori parte Capharnaum (a quodam fonte sic dicta, de quo Josephus<sup>156</sup>, 3 *De bello*, c.18) et deinde Betsaida (cui cum prius vicus esset, Philippus tetracha urbis speciem dedit et in honoreJuliae filiae Caesaris Juliadum appellavit). Postea Magdalum, et ultimo Tiberiadem, in inferiori lacus parte, quam Herodes tetrarcha, a se conditam in honorem Tiberii appellavit Tiberiadem, ut auctor est ibidem Josephus.

3. Egesipus, 3 *De excidio Hierosolymitano* c.26, et Beda<sup>157</sup>, Lc 5 in

<sup>152</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, c.6. Lugdubi 1639, p.325.

<sup>153</sup> AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, 1.2, c.45. PL 34,1124.

<sup>154</sup> VENERABILIS BEDA, *In Mc Ev expositio*, c.6. PL 92,188,192.

<sup>155</sup> HIERONYMUS, *Evang secundum Mt*, c.14. PL 29,592.

<sup>156</sup> FL. JOSEPHUS, *De bello judaico*, 1.3, c.18. Basileae 1554, p.712.

<sup>157</sup> VENERABILIS BEDA, *In Lc Ev expositio*, c.5. PL 92,381.

principio, et S. Thomas<sup>158</sup> hic, aiunt hoc mare appellari Genesar sive Gensareth a generandis auris quibus frequenter agitatur; sed hoc est hebraicae voci etimologiam graecam quaerere, et constat ex Josepho ubi supra, Genesar esse nomen proprium partis littoris citerioris, id est illius tractus ubi sita erat Capharnaum, et de fertilitate illius soli per quatuor fere milliaria narrat mirabilia Josephus, ab eo ergo littore appellatur mare Genesareth.

4. Constat praeterea hunc lacum appellari mare Cennereth, Josue 13,27, Numer 34,11. Existimat autem Montanus in libello De 12 gentibus, a figura Cytarae sic appellari, quae hebraice dicitur Cinor חנעם, sed verisimilius est id nomen tribui stagno a civitate Ceneret, de qua Josue 19,35, Hieronymus<sup>159</sup> enim, De locis hebraicis, ait multos sentire esse eandem quae postea dicta est Tiberias, et eam opinionem videtur ipse sequi Ezechiel 47<sup>160</sup>; et facit quod cum constet ex Josue 19 eam civitatem esse citra flumen, nihilominus termini illius sunt trans flumen ut videre est Deut 3,17, sicut desertum Betsaida omnino erat trans flumen et tamen ipsa Betsaida est citra flumen. Si ergo Tiberias olim dicta est Cinnereth, falsum est quod aiunt Jansenius atque Montanus, scilicet Genesar esse idem quod Cenereth corrupto vocabulo cum tamen constet Genesar non esse urbem sed tractum terrae in superiori parte litoris et Cenereth esse urbem in parte inferiori, nam cum Josephus dicat longitudinem illius terrae esse 30 stadiorum, longitudine illius lacus ad minimum est 100 stadiorum, et fons Capernaum qui est supra lacum ponitur a Josepho intra illam terram Genesar.

Sed obiicies ubi nos legimus mare Cenneret caldaicum *paraphrastem*, exponere de mare Genesareth. Ergo idem sunt Cenereth et Genesareth. —Respondeo non id bene colligi, quia similiter potera appellari id mare Galileae et tamen Galilea erat integra provintia; fortasse ergo voluit explicare quod esset mare [f.62] Ceneret, quia eo fortassis tempore urbs illa erat destructa atque adeo minus communis appellatio.

5. Si vis nosse quae sit huius stagni magnitudo scito ea de re aliquod esse inter auctores discrimen, nam quoad longitudinem Aranda, tract.2, c.4, tribuit ei 12 V passus. Josephus vero 100 stadia, id est passus 12500. Beda, in libello de locis sanctis c.11, tribuit 140 stadia id est 15 milliaria et Plinius 1.5, c.15 extendit eam usque ad 16 milliaria. Sed Josephus potius videtur credendum et similiter in latitudine cui ille tribuit 40 stadia id est quinque mille passus, quamvis Plinius numerat 6 milliaria et Aranda 8. Sed utcumque

<sup>158</sup> THOMAS AQ., *In Jn evangelistam explanatio*, c.6. Ed Vivès, 20,23.

<sup>159</sup> HIERONYMUS, *De Palestinae locis*, PL 23,980.

<sup>160</sup> HIERONYMUS, *Comment. In Ezch. Prophetam*, c.47. PL 25, 499.

sit, terra Genesar non occupat tertiam partem litoris occidentalis et est in superiori parte illius, Tiberias vero est in extrema parte eiusdem litoris.

6. —His suppositis bene probat Jansenius contra Brocardum et contra Bedam Mc 6<sup>161</sup>, et alios, hoc miraculum omnino factum esse trans mare Galileae, id enim apertissime ait Joannes, et idem manifeste colligitur ex Mt 14; cum enim prius dixisset Iesum secessisse in navicula in locum desertum, postea ait quod transfretavit in terram Genesar, id est in Capharnaum ut ait Joannes, et idem cum Mathaeo scribit Marcus. Sed facessit quod ait Lc 9 [10], nimirum miraculum factum fuisse in deserto Betsaida, et si alicui fortasse non satisfaciat duplex solutio Jansenii et quod supra diximus n.4, —Respondeo 3º, non esse omnino improbabile quod nonnulli aiunt Christum primo secessisse in deserto Betsaida (que se llama de Betsaida, id est, e regione illius o porque era de su distrito), et mox ut remotior esset consensa navicula venisse in mare Galileae. Et tandem, —Respondeo 4º, satis esse verisimile quod alii dicunt, nempe sicut duplex fuit Julias, altera citra lacum et altera ultra lacum, quarum meminit Josephus<sup>162</sup> 18 Antiquitatum c.3, ita fuisse duplum Betsaidam, altera citra lacum quae fuit patria quorundam Apostolorum, altera ultra lacum in cuius deserto factum est miraculum multiplicationis, et probatur ex Jn 12. (Perpende quod Betsaida es lo mismo que Julias, ut supra n.2.) Si accesserunt ad Philippum qui erat a Betsaida Galileae ergo erat altera Betsaida extra Galilaeam, de qua loquitur; alioqui quid necesse erat addere *Galileae*. Docet hoc Scripturae consuetudo quae nominibus civitatum non addit nomina provintiae aut tribuum nisiut ab aliis eiusdem nominis distinguantur, ut Mt 2 in *Betelem terra Juda, et tu Betelem terra Juda* et Jn 2 in *Cana Galileae*. Similiter dicitur Cesarea Palestinae ut distinguatur a Cesarea Philippi que erat in Galilaea, et *Ramoth Galaad* quoniam erat alia Ramoth in tribu Isachar.

Manet ergo miraculum omnino factum esse trans mare. Quomodo vero turbae potuerint pedestres prevenire Domini adventum, bene Jansenius. Nisi quod ex Joanne omnino videtur colligi non solvisse Dominum e Capharnaum sed ex Tiberiade, neque enim colligitur ex Evangelio, ut putat Jansenius quod tunc Dominus erat in Capharnaum. Sed quod egressus e Nazareth circuibat castella docens, ut habetur Mc 6 atque ita venit Tiberiadem, et in opposito littore fecit miraculim.

7. *Subiit in montem*. Subire pro ascendere. Similiter usurpat Plinius lib.4, c.11. Nota Joannes nonnullas addidisse circumstatias ab aliis Evangelistis

<sup>161</sup> VENERABILIS BEDA, *In Mc Ev expositio*, c.6. PL 92,191.

<sup>162</sup> FL. JOSEPHUS, *Antiquitatum judaicarum*, 1.18, c.3. Basileae 1554,p.481.

omissas, nempe temporis et ascensus Christi in montem et interrogationis unde emerent, et quod panes fuerunt hordacei, et quod homines viso tanto miraculo voluerunt Christum regem facere et ipse fugit in montem. [f.62v] Alii vero Evangelistae quatuor circumstantias memorant omissas a Joanne, nam omnes tres aiunt miraculum esse factum tempore vespertino, et Mc et Lc aiunt homines iussu Christi discubuisse quinquagenos et centenos, et Matheus narrat fuisse quinque millia hominum exceptis mulieribus, et Marcus meminit illos discubuisse super viride foenum, nam foeni nomine intelligere debemus herbam viridem, ut patet ex usu Sacrae Scripturae in qua eadem vox hebraea modo vertitur fenum modo gramen modo herba. (*Exsicatum est foenum et cecidit flos*, luego verde era y con flores.)

8. In narratione huius miraculi videntur esse inter Evangelistas nonnullas dissonantias, nam 1º: alii Evangelistae narrant discipulos sollicitasse Christum ut dimitteret turbas, Joannes vero ait Christum interrogasse discipulos quomodo possent turbas pascere. 2º: Joannes dicit Philipum dixisse Christo ducentorum denariorum panes non sufficere illi turbae pascendae, et Marcus narrat hoc dixisse discipulos. 3º: alii Evangelistae narrant discipulos dixisse se habere quinque panes, Joannes vero ait penes puerum esse panes . 4º: Joannes ait fuisse quasi quinque millia, et alii aiunt fuisse quinque millia exceptis pueris et mulieribus. 5º: alii dicunt facto miraculo Christum dimisisse turbam, Joannes ait cum vellent eum regem facere fugisse in montem. Verum facile est intelligere horum omnium consonantiam, et de hoc bene Jansenius et multi. Et similiter de aliis miraculosis multiplicationibus in Sacra Scriptura narratis et de huius excellentia et analogia et convenientia cum Sacramento Eucharistiae. (La de la costa de Adán, las de Elías 3Reg 17, las de Eliseo 4 Reg 4, el milagro de los siete panes.)

9. **Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.** Montanus, Mc 6, ait se observasse in libro Misnayoth illis temporibus et in illa regione uno denario potuisse emi panes qui satis erant 10 hominibus pascendi. Ergo 200 denariis solum poterant 2000 homines pasci. Bene ergo aiunt non sufficere ut unusquisque modicum quid accipiat cum praeter pueros et foeminas essent 5000. Porro quod Jansenius<sup>163</sup> ait ironica intelligenda esse Apostolorum verba quae refert Marcus *euntes emamus ducentis denariis*, id aliis non videtur probabile, ut por eiusdem ironiam cum Domino loquerentur discipuli, et verisimilium est vere illos egisse de impendendis in ea re 200 denariis, non quod eos illi haberent sed quod in ea turba multi essent viri boni et Christi studiosi ex quibus illam summam poterant colligere, quasi dicerent non deerunt inter homines nonnulli qui saltem 200 denarios nobis largiantur. Et sunt qui similiter explicit quod Lc ait non sunt

<sup>163</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.440.

nobis plus quam quinque panes et duo pisces, nempe, non quod ipsi haberent, sed quod habebat puer sibi notus, qui libenter illos esset daturus. Quanvis alii existiment eius pueri ministerio usum fuisse Dominum et Apostolos, nam quod Jansenius<sup>164</sup> ait nomine pueri intelligi posse unum ex Apostolis, id non videtur quia in graeco est παιδάριον, id est puerus. (Bene dixit, id est bene precatus est, bene Jansenius.)

10. ***Inter tantos.*** Cajetanus<sup>165</sup> corrigit *inter tot*, sed tamen inter latinos pertinere etiam ad numerum patet ex Plauto in Bachide. (De miraculi huius vaticinio Sibyllae vide Lactantium 1.4, c.15, et de spirituali sensu huius miraculi omnes Patres optime.)

11. ***De cophino*** vero vide Ariam Montanum, libro de Arcano sermone, c.93, ex Ps 80 [7], *manus eius in cophino servierunt*, et vide ibi Euthymium et Bedam<sup>166</sup>.

12. ***Hic est vere propheta.*** Nempe ille promissus in Dt 18. Ponitur enim cum articulo in graeco.

13. ***Ut sero factum est.*** Prius discipuli descenderunt in mare ut patet ex aliis Evangelistis, et postea ipse ascendit in montem, sed Joannes praeoccupavit ordinem rei gestae ut notat Augustinus<sup>167</sup>, libro De consensu Evangelistarum, c.47, sicut etiam statim ait *venerunt trans mare in Capharnaum, mare autem flante vento exurgebat*, atque prius est orta et sedata tempestas quam venirent Capharnaum (Quizá quiere decir fueron, id est partieron para Cafarnaún) [f.63]

Quaestio tamen est quomodo venerint Capharnaum, cum dicat Marcus [Mt 14,22] *coegit discipulos suos ascendere navim ut praecedenter eum trans fretum* ad Betsaidam. Caieanus ait Capharnaum fuisse aliquantulum a mari remotam et ideo portus non erat Capharnaum sed Betsaida, unde idem erit navigare Capharnaum et navigare in portum Betsaidae. Sed hoc est optatum magis quam inventum, (no es sino verosimil, vide supra c.2, l.2, § 1) quia constat Capharnaum fuisse prope in littore quia Mc 2 Dominus dicitur *egressus in mare et vidisse Matheum in telonio*, et Ambrosius aperte indicat telonium fuisse ad mare ut vectigalia a nautis exigerentur. Verisimilius ergo

<sup>164</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.441.

<sup>165</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, 6,9. LUGDUNI 1639, P.326.

<sup>166</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.6. PL 92,707.

<sup>167</sup> AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, 1.2, c.47. PL 34,1128.

est quod Jansenius<sup>168</sup> ait, nempe navim primum venisse Betsaidam et deinde Capharnaum quia solverunt ex littore opposito Tiberiadi quae est in inferiori parte Lacus atque adeo prius venerunt Betsaidam, sed quoniam ibi non steterunt ideo Joannes solus nominat Capharnaum. Convenit autem optime quod Marcus et Mathaeus scribunt venisse in terram Genesar quoniam in ea erat Capharnaum, ut dictum est.

14. ***Quasi stadia 25 aut 30.*** Obiicies quod Marcus et Mathaeus aiunt, nempe navim fuisse in medio mari cum venit ad eos Dominus; sed latitudo non erat nisi 40 stadiorum ergo etc. (Quizá in medio mari no se toma en ese rigor sino engolfados.) Respondeo non fuisse rectam navegationem sed transversam, non enim venerunt Tiberiadem sed Betsaidam quae est supra Tiberiadem versus superiorem partem lacus.

15. ***Voluerunt eum accipere in navim.*** Chrysostomus<sup>169</sup>, homilia 42, putat non fuisse hanc tempestatem de qua Mt 14 et Mc 6, quia intelligit Joannem significare quod statim ac voluerunt discipuli Dominum navigio accipere, antequam ingredetur inventa est navis in portu; verum contraria sententia est Augustini, *De consensu c.47*<sup>170</sup>, Euthymii<sup>171</sup> et communis et certa ex ordine Evangelistarum. Prius ergo discipuli viso Domino timuerunt et phantasma esse putaverunt, deinde loquutus est eis *ego sum* etc., ut loqui solent qui se agnoscit volunt a suis. (Quomodo ambulabat super aquas. Respondeo vel per dotem agilitatis vel solidando aquas vel suspendendo gravitatis effectus vel sustentando eam.) Tunc Petrus dixit *Domine si tu es jube me venire ad te* etc. Postea voluerunt eum accipere in navim, id est oraverunt ipsum ut in navim ascenderet, et ingressus est ut aiunt Mathaeus et Marcus et statim navis delata est velocissime ad portum, instantaneo fere motu cum tamen multum maris restaret navigandum. (Quizá no quieren decir los Evangelistas tanta velocidad sino que antes no podían arribar e iban contra viento etc, y luego pudieron facilmente etc.) Et de huius miraculi sensu spirituali vide Cyrillum lib.3, c.23 et 24, Augustinum, tractatu 25<sup>172</sup>, Bedam<sup>173</sup> hic et Mc 6, Jansenium c.58<sup>174</sup>.

<sup>168</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.443.

<sup>169</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 43(42)*. PG 59,245.

<sup>170</sup> AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, 1.2, c.47. PL 34,1127.

<sup>171</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 6,21. PG 129,1242.

<sup>172</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.25*. PL 35,1600.

<sup>173</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.6. PL 92,710; Mc 6, PL 92,196.

<sup>174</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.442.

**Lectio 2**  
**De sermone Domini qui incipit**  
***Quaeritis Me non quia vidistis signa***

1. Quaestio gravis est an in hoc sermone Christus ad litteram loquatur de Sacramento Eucharistiae.

Et sunt quibus pars negativa parum tuta videatur: —1º quia ea est explicatio haereticorum negantium veritatem Corporis Christi in Eucharistia, nempe Zuingli, Oecolampadii, Carolstadii atque Calvini.

—2º, quia qui figurate explicat ea verba in quibus Christus ait Carnem suam vere esse cibum necessario manducandum, similiter explicabit figurate quod Christus ait hoc est Corpus meum, neque enim haec magis cogunt quan illa.

—3º, probant ex Conciliis, nempe ex Niceno II<sup>175</sup>, actione 7, (actione 6 in tomo 3 illius actionis prope finem) et ex Ephesino<sup>176</sup>, epistola contra Nestorium post medium, ex Urbano Papa, extravagante de reliquiis, et ex Tridentino<sup>177</sup> sess.21, c.1, et sess.13, c.2.

—4º, probant ex communi sanctorum et expositorum quos afferunt Roffensis libro 2 De veritate Corporis et Sanguinis Christi contra Oecolampodium; et Castro<sup>178</sup> libro 6, verbo *Eucharistia* haeresi 4; [f.63v] Sanderus<sup>179</sup>, in Monarchia Ecclesiae, et Sainctes in repetitione. Afferunt auten Irenaeum, Origenes, Basilium, Athanasium, Chrisostomum, Cyrillum, Clementem Alexandrinum, Hilarium, Ambrosium, Cyprianum<sup>180</sup>, Augustinum<sup>181</sup>, Hieronymum, Nisenum, Emissenum, Gregorium, Leonem, Damascenum, Cassiodorum, Innocentium, Theophylactum<sup>182</sup>, Rupertum<sup>183</sup>, Lyram<sup>184</sup>, Glossa, etc. Videtur autem plus quam temerarium tot et tantis doctoribus se opponere.

—5º, probari potest ex communi scholasticorum qui hoc loco utuntur ad probandam catholicam veritatem. Imo aiunt quod alioqui non constaret ex Sacra Scriptura necessitas accedendi ad Eucharistiam.

<sup>175</sup> MANSI, *Sacrorum Concil. Nova et ampliss. collectio. Concilium Nicaenum II*, actio 6. Tom.13, col.263-266. Florentiae, 1767.

<sup>176</sup> MANSI, *Concil.Ephesinum*, tomo 4, Florentiae 1760, col.670,759,878,1078; tomo 5, Florentiae 1761, col.71,107,138,406,507.

<sup>177</sup> CONC. TRIDENTINUM, sess.XXI, c.1; sess.XIII, c.2. Dz 930; 875.

<sup>178</sup> ALFONSUS DE CASTRO OMC, *Adversus omnes haereses* 1.14. 1.4. v. Eucharistia. Parisiis 1541, f.115.

<sup>179</sup> NICOLAUS SANDERO, *De visibili monarchia Ecclesiae*, l.7.Wiceburgi 1592, p.673.

<sup>180</sup> CYPRIANUS, *De oratione dominica*. PL 4,549.

<sup>181</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract*,25. PL 35,1600.

<sup>182</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr. in Ev Jn*, c.6, v.27. PG 123,1295.

<sup>183</sup> RUPERTUS TUTTIENSIS, *Comment. In Jn*, 1.6. PL 169,462.

<sup>184</sup> WALAFRIDUS STRABUS, *Glossa ordinaria*, c.6. PL 114,384.

—6º adducunt illam regulam Sacrae Scripturae quam tradit Augustinus<sup>185</sup>,  
 3º De doctrina Christiana c.16, nempe *si praeceptiva loquutio est aut flagitium  
 aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficium iubens non est figurata.*  
 Adde quod non videtur in Eucharistiam bene affectus qui adeo diserta et  
 perspicua verba detorquet in alium sensum.

—7º, obiiciunt nobis contextum ipsum, maxime cum haec concio orta sit  
 ex miraculo in quo negari non potest quin Christus Eucharistiae institutionem  
 delineare voluerit cum Evangelistae tan accurate meminerint eum elevatis  
 oculis in coelum gratias egisse, deinde benedixisse et fregisse panem videtur  
 ad amussim respondere institutio promissioni, nam modo ait *panis quem  
 ego dabo* (Nota el *dabo*, in futuro, bis) *caro mea et postea accipite hoc est  
 corpus meum*, modo ait *pro mundi vita*, et postea *quod pro vobis traditur*,  
 etc. Et confirmatur quia si Christus allegorice loquebatur non erat quod adeo  
*litigarent iudei dicentes quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad  
 manducandum*, neque murmurarent discipuli neque dicerent *durus est hic  
 sermo* et abirent retrorsum, et saltem Christus explicasset se metaphorice  
 loqui de manducatione spirituali per fidem et amorem, cum videret suos  
 scandalizari intelligendo de vera carnis manducatione.

—8º Ultimo, veteres Patres ante incarnationem significantur in hoc capite  
 non comedisse Corpus Christi neque eius Sanguinem bibisse, ergo non est  
 sermo de manducatione per fidem sed de vera sumptione Corporis Christi.  
 Adde quod durissima videtur metaphora ut qui fit particeps Christi per  
 fidem eo ipso dicatur manducare carnem et sanguinem bibere. Et denique  
 confirmatur ex autoritate Ecclesiae quae in festo Corporis Christi canit  
 Evangelium ex hoc sermone Domini.

2. Propter haec Roffensis in proemio lib. 1 Contra Ecolampodium, et  
 Catherinus lib.5 annotatio in Cajetanum gravi nota inurunt eum qui aliter  
 explicandum censet, et eum reprobatum et haereticum appellant. Sed  
 crediderim eos agere contra illos qui ne cogantur confiteri veritatem Corporis  
 Christi in Eucharistia aiunt verba Domini non habere locum in illa. Alioqui  
 zelus quem ostendunt non erit secundum scientiam, ut ex sequentibus  
 constabit.

**Dico ergo 1º**, aliud esse sigillatim loqui de Eucharistia ut non nisi in illa  
 verificetur sensus verborum Christi, et aliud in communi loqui ea quae et  
 alibi vere et in Eucharistia verissime locum habent. Exemplum primi est  
 Christum convertisse panem in Corpus suum eumque discipulis distribuisse ;  
 exemplum secundi est Christum esse perfectam animarum satietatem. Prima  
 ergo loquutio vatet ad probandam Eucharistiae veritatem contra haereticos,

<sup>185</sup> AUGUSTINUS, *De doctrina christian*, I.3, c.16. PL 34,74.

secunda vero non, sed admissa semel Euchristiae veritate valet ad explicandam illius excellentiam, nam proculdubio aptissime quis perpenderet quam avide sit ad Eucharistiam accedendum et quanti faciendum hoc eximum beneficium ex eo quod Christus est perfecta nostrarum animarum satietas et ex eo quod adhaerere Deo bonum est, et suavis est Dominus et ex aliis eiusmodi quibus ad hanc rem non utimur [f.64] sensu allegorico vel sola verborum accommodatione sed utimur litteralissimo sensu eorum verborum non ad probationem eius veritatis quam supponimus sed ad rei magnitudinem, utilitatem et suavitatem explicandam; ea ergo quae de fructu suea Carnis et Sanguinis Christus disseruit quamvis non esent ab ipso dicta sigillatim de Sacramento Eucharistiae nihilominus in litterali sensu accommodatissima sunt ad expendendam huius Sacramenti utilitatem; et quamvis non valeant contra negantes Christi presentiam, valent tamen apud eos qui supponunt Carnem et Sanguinem Christi esse in hoc Sacramento, imo non solum valent utcumque sed etiam multo maiorem habent energiam quam si Christus solum fuisse loquutus de hoc Sacramento, quia si Caro et Sanguis Christi per se sunt nostra vita et refectio, quid erit dicendum de Sacramento ubi eadem Caro et idem Sanguis vere continentur et tam benevole dispensantur ut vere recipiantur corporaliter a fidelibus intra os et intra pectus.

**3. Dico 2º**, iam satis constare quomodo aptissime Patres omnes utantur huius capituli sexti verbis dum agunt de Eucharistia, et aptissime Ecclesia proponat fidelibus hoc Evangelium in festo Corporis Christi, quamvis contra haereticos nihil ex eo colligeretur, quia Ecclesia non proponit hoc Evangelium contra haereticos argumentando, sed beneficium sibi collatum perpendendo supposita fide quam legit in epistola Pauli, et proculdubio huic instituto magis deservit hoc caput quam ea quibus rei veritas evidenter probaretur, nec enim quando aliquid aptius est ad proterviam inimicorum convincendam eo est ad excitandam devotionem accommodatius. Imo videntur parum aut nihil in rerum divinarum contemplatione profecisse quia omnia distinctis gladiis agi volunt, atque ita satis mirari non possunt eos qui nihil existimant esse ad rem nisi Calvinum prosternat et Zuinglium interimat et Oecolampodium confodiat. Quod si verus est numquam contra huius Sacramenti veritatem haeresim excitatam fuisse ante Berengarium, nimis rigidi sunt qui volunt ut testimonia quibus Patres utuntur dum agunt de Eucharistia aut perperam sint allata aut contra haereticos sint contorta; si ea de re nulla unquam fuerat haeresis audita non id agebant Patres ut eam destrerent sed potius ut fidelium devotionem foverent, cui rei maxime deservit caput hoc in sensu litterali ut supra diximus. Sed hoc rursus redundant in maiorem veritatis confirmationem quod res erat adeo certa et explorata, adeo ab omni quaestione aliena, et adeo

communibus sanctorum sensibus infixa ut statim ac de Carnis et Sanguinis Christi fructu disseritur illico Patres descendant ad huius Sacramenti suavitatem et utilitatem quasi eius dulcedine inescati, quia quamvis nossent quod dicitur de fructu Carnis et Sanguinis Christi bene posse intelligi abstrahendo ut aiunt a Sacramento nihilominus videbant idipsum verissime locum habere in Eucharistia cuius erat illius multo iucundissima memoria et quam prorsus in deliciis habebant et vehementer amabant.

**4. Dico 3º**, non mirum etiam esse quod aliqui ex Patribus sibi persuaderint ex hoc capite confirmari posse Eucharistiae veritatem, nam aliquid amantibus condonandum est, sed eam non fuisse omnium sententiam Tridentinum<sup>186</sup> perspicue testatur sess.21, c.1, dum ait ex eo capite non colligi *utriusque speciei communionem praeceptam fuisse a Domino utcumque iuxta varias Sanctorum Patrum interpraetationes intelligatur*; quasi diceret aliquos intelligere de Eucharistia, alias vero non neque eam litem a Concilio iudicari, sed solum hoc asseri in eo capite non praecipi communionem utriusque speciei. (Augustinus 3 De consensu c.1<sup>187</sup>, et Chrysostomus homil.83 in Mt videntur non posse explicari, et Hilarius etc.)

[f.64v]

Et quod Synodus non existimaverit capitnis huius verba valere ad probandam Eucharistiae veritatem patet evidenter sess.13, c.1, ubi definitur ea veritas et adducuntur 4 insignes loci ex Sacra Scriptura, nempe ex Mt, Mc, Lc, et Paulo 1Cor 11, et nulla fit huius capitnis mentio, et quamvis argumentum negativum non soleat habere vim, certe tamen negari non potest quin eo loco de industria et certo consilio omiserit Synodus hunc Joannis locum de quo noverat controversiam esse inter Doctores an ad eam rem spectet. Et nihilominus in eadem sessione c.2, dum iam non agitur contra haereticos de Eucharistiae veritate sed de eius effectibus inter catholicos illa verba *qui manducat me et ipse vivet propter me*, ad explicandum quomodo confortetur anima hoc Ecclesiae cibo. Perpende obsecro quomodo exemplo Concilii doceamus usum huius capitnis in Eucharistia non debere esse ad veritatis probationem sed ad eius fructum supposita veritate. Et omnino sic mihi videntur eo capite uti Sancti Patres atque Doctores ut in Augustino<sup>188</sup> manifestissime deprehendet quicumque attente legerit aliquando ad Eucharistiam descendentem et aliquando in sola spirituali manducatione explicantem. Unde factum est ut in hac controversia utraque pars pro se afferat Augustinum sed multo certe

<sup>186</sup> CONC. TIDENT., sess.XXI, c.1. Dz 930.

<sup>187</sup> AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, 1.3, c.1. PL 34,1158.

<sup>188</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.26*. PL 35,1613.

maiori iure Jansenius<sup>189</sup>. Et id significare videtur Tridentinum dum meminit variarum Sanctorum explicationum: in quo Augustinum praecipue revereri videtur. (Similiter intellexit D.Thomas<sup>190</sup> Augustinum, 3p, q.65, a.4, 2<sup>um</sup>).

**5. Dico 4º**, prorsus mihi persuasum esse Christum in huius concionis contextu non loqui sigillatim de Eucharistia sed in communi de suae Carnis et Sanguinis participatione: —1<sup>um</sup>, quia obiectiones quae in contrarium adducuntur nullam habent difficultatem ut patebit ex earum solutione. —2º, quia praestat verba Sacrae Scripturae ita accipere ut latissime pateant quantum fieri potest, sic enim uberior est eorum fructus; et huius concionis sensus si in communi accipiatur est multo fructuosior utpote cuius exercitium sit maxime salutare omnibus fidelibus in quovis temporis momento et sine intermissione per integrum vitam et ea etiam ratione habet excellentissime locum in Eucharistiae communione, imo melius quam si de illa solum ageretur, ut patet supra n.2. Quod si quis aegre ferat hoc se telo privari contra Calvinum, zelum equidem laudo, sed cui non satis sunt quatuor evidentissimi loci et totius antiquitatis firma consensio, utique minus curabit de loco quem videt aliter a multis etiam catholicis explicari. Quare cun certum sit iam hic non peti firmum contra haereticos argumentum, crediderim prudentius esse non hic urgere pressius hostes et permittere ut amici, id est fideles maiorem fructum alia ratione percipient. —3º, me movet contextus ipse quem fateor me prorsus nescire ordinare si ad Eucharistiam omnino referatur, et quod audio ab aliis optime ordinari, experiri potius quam credere, nam valde suspicor plerosque eorum qui dictant omnino esse explicandum de Sacramento altaris numquam ex professo huic filo deducendo vacasse, sed vel supradicto zelo ad id vacasse vel quodam metu et religione adductos existimantes eam esse Conciliorum et Patrum sententiam, re nondum mature perpensa vel quod putarent ea explicatione obsequium se praestare Eucharistiae. Sed si semel sibi persuaderent eam non esse Conciliorum neque Patrum communem explicationem neque firmum argumentum contra hostes neque maius obsequium Eucharistiae, et serio applicarent animum ad contextum, fortasse nobiscum mitius agerent vel gratiae saltem eam consentirent. Verum haec meditanti (proh dolor) exciderat primum adversariorum argumentum in quo mihi ipsum contextum obiiciunt quo ego maxime nitor: veniam igitur interim depraecor et postea res examinabitur dum ad difficultates contextus ventum erit. Solum addo non satis convenire inter adversarios unde incipiat [f.65] Christus agere de Eucharistia, nam quidam volunt ab initio concionis Christum agere de mandatione sacramentali, alii vero solum ab illis verbis *panis*

<sup>189</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580. p.458.

<sup>190</sup> THOMAS AQ., 3p, q.65, a.4, 2. Ed Vivès 5,353.

*quem ego dabo caro mea est vel ab illis verbis patres vestri manducaverunt manna* etc. (Roffensis, et Ecchius, homil. 31 de Sacramentis) et afferunt pro se Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum, Rupertum, Theophylactum<sup>191</sup>, Euthymium et D.Thoma<sup>192</sup>, et probant etiam quia Christus prius insemerat multas sententias quae omnino intelliguntur de accessu ad illum per fidem, ut est illa: *qui venit ad Me non esuriet, et qui credit in Me* etc, et *nemo potest venire ad Me nisi Pater meus*, et illa *Ego sum panis vitae, qui credit in Me*, etc. Sed ad haec alii respondent quod in magnis miraculis solet Dominus fidem auditorum exigere, ut Isaías 7 [9] et Mt 9 [2], de quo vide Turrianum contra Volanum, c.11. Certe ego aut totum contextum applicare ad Eucharistiam, aut totum ad fidem, quia si posteriora Patres ad illam applicant eadem etiam ratione de superioribus ubi similiter se Dominus appellaverat panem, atque ita quod Christus ait *non Moises dedit panem vobis de coelo sed Pater meus*, ad Sacramentum applicant Cyrillus c.36, et Rupertus<sup>193</sup>. Et Clemens Alexandrinus<sup>194</sup> 1 Pedagogo c.6 post medium. Quod si haec non probant hsc tenus Christum loquutum fuisse de Eucharistia, ergo nec verba sequentia. —4°, me valde confirmat ratio temporis et auditorum, nam cum Christus hanc contionem habuerit plus quam integro anno ante Eucharistiae institutionem coram infinita multitudine, non est credibile quod voluerit illis intimare necessitatem eius rei quae nondum erat necessaria quia nondum erat instituta, imo bonae illorum parti erat impossibilis, quia non est verisimile quin multi ex tanta multitudine obierint ante Christi Passionem; quod ergo attinebat rem adeo reconditam et quae instituta est coram solis Apostolis tanto antea evulgare coram inscia atque permiscua plebe et mortem aeternam minari omnibus qui non manducaverint ex ea, cum plane multis illorum non esset futura necessaria nec in re nec in voto. Adde quod si te adeo movent illa verba *caro mea vere est cibus* ut ad Eucharistiam referendam credas, et de cibo sacramentali interpraeteris, ex iisdem ergo mihi persuadeo alium esse sensum verborum Christi quia ille iam tunc vere dicebat *caro mea vere est cibus*, et tamen nondum erat cibus sacramentalis; ergo non loquitur formaliter de cibo sacramentali; alioqui non adeo affirmaret iterum atque iterum se esse vere cibum. Certe quidem qui de sacro interpraetantur perinde mihi videntur ac si dicerent quando Christus adeo asseveranter confirmabat se esse vere cibum, nondum erat cibus, in quo ut nescio quam pietatem sequantur, plane videntur deserere veritatem.

<sup>191</sup> THEOPHILACTUS, *In Jn Ev comment.* c.6,27. PG 123,1298.

<sup>192</sup> THOMAS AQ., *In Jn evangelistam expositio*, c.6. Ed Vivès, 20,45.

<sup>193</sup> RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment. In Jn*, 1.6. PL 169,470.

<sup>194</sup> CLEMENS ALEXANDRINUS, *Paedagogus*, 1.1, c.6. PG 8,293...

6. —Dico 5º. Nihilominus negari non debere quin in hac concione saepe Christus alluserit ad Eucharistiae institutionem, nam quamvis hic sensus non cohaereat cum contextu saepe tamen contigit iis qui scite et eleganter loquuntur ut iisdem verbis quibus aliquid narrant vel docent aliud subtiliter tangant non quidem illud ex contextu sed ex verborum accommodatione et apta convenientia. Cum ergo Christus adeo mirabilem adinventionem gestaret in Corde, et quasi divinum illum fetum animo parturiret, quis dubitat quin delectatus sit in iocunda eorum verborum allusione quae licet inter se pro ratione contextu aliter connecterentur, nihilominus videbat ipse in sua instituenda Eucharistia aptissimum habere locum. Et quidem ex hoc significationis genere nihil solide probatur nisi supposita veritate quia non tam exprimitur quam tacite innuitur, sed eam veritatem alias satis expressit, atque adeo in hac concione reliquit iocundissimam meditandi et adaptandi materiam. Et fortasse hoc est quod nonnulli aiunt, nempe quosdam esse sensus litterales [f.65v] qui non cohaerent cum textu et tamen sunt litterales, quia non in rebus sed in ipsis verbis innuuntur; sed ego non tam sensum expressum id appellaverim quam tacitam significationem, non tan dictum quam volutum intelligi (scilicet, postea a fidelibus) un apuntamiento, un asomo etc.

7. Ad argumenta. —Ad 1º, Respondeo eandem esse multorum catholicorum atque sanctorum doctorum ut agnoscit Tridentinum sess.21, c.1<sup>195</sup>, et Augustino quidem non solum eam tribuit Jansenius<sup>196</sup> sed etiam D. Thomas ubi supra, neque solum eam ipsi tribuit sed etiam aperte sequitur, nam cum sibi obiecisset illud Joannis *nisi manducaveritis carnem et biberitis sanguinem* etc, pro necessitate communionis sub utraque specie, respondet illud intelligi in communione spirituali, quod si fateretur de sacramentali etiam peculiariter intelligi non respondebat argumento. Basilius, epist.141; Innocentius I ad Augustinum.) Praeterea D. Bernardus qui fuit post Berengarium, omnino fuit nostrae sententiae, nam in versu 3 Psalmi *qui habitat* ait: loquebatur Dominus Jn 6 de penitentia ipsa sed in figura tanquam iis quibus non erat datum nosse mysterium regni Dei, et cum audirent *nisi manducaveritis* dixerunt *durus est hic sermo*, quid est autem manducare eius carnem et bibere sanguinem nisi communicare passionibus eius et eam conversationem imitari quam gessit in carne? Et postea explicat quomodo hoc ipsum applicetur Sacramento altaris. Praeterea in sermone de verbis Abacuk sic incipit idem Bernardus: legimus in Evangelio quod praedicante Domino et sub misterio edendi Corporis sui discipulos ad communicandum

<sup>195</sup> CONC. TRIDENT., sess. XXI, c.1. Dz 930.

<sup>196</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.457.

passionibus suis admonente dixerint quidam durus est hic sermo. Praeterea in tractatu de diligendo Deo ait: quotidie nobis de memoria Passionis in Ecclesia replicatur qui manducat carnem meam et bibt sanguinem meum habet vitam aeternam, hoc est qui recolit mortem meam et exemplo meo mortificat membra sua quae sunt super terram, hoc est qui compatitur conregnabit. Praeterea D. Hieronymus in id Ps 77 [24] *panem coeli dedit eis* explicat cur Christus dixerit *ego sum panis vitae qui de coelo descendit, qui manducat ex eo vivet in aeternum*, nempe quia ex hoc pane sancti reficiuntur et angeli. Turrecremata in summa de Ecclesia. Praeterea de spirituali manducatione exponendum esse censem Alcuinus, Conradus l.4 locorum communium c.13, Gerson<sup>197</sup>, Waldensis tom.2 c.92, Maior in 4° d.13, ubi etiam Palacios q.5, conclusione 8 ad 2<sup>um</sup>, Clitovaeus 1<sup>o</sup> antiluteri c.29, Ecchius in Enchiridio, Gabriel in canone lect.85, Ruardus Tapper 2 tom a.15, Nicolaus de Cusa epl.7 ad Boem, et Joannes Hessel libro de veritate Eucharistiae. Praeterea Cajetanus hic<sup>198</sup> et 3p. q.80, a.12<sup>199</sup>, Jansenius<sup>200</sup>, Montanus. Praeterea eadem sententia non immerito tribuitur Chrysostomo, Theophylacto<sup>201</sup>, Euthymio atque Ruperto ut partim fatentur adversarii et vidimus supra § 5, ratione 3<sup>a</sup>.

8. —Ad 2<sup>um</sup> Respondeo magnum esse discriminem; quia bene potuit Christus se appellare cibum verum sicut se appellavit veram vitem, sed non potuit consecrare panem et dicere hoc est corpus meum in Sacramenti veneranda institutione et cum circumstantiis quas narrat Evangelium, quin illud teneamur vere et proprie ut sonat intelligere ut semper Ecclesia intellexit, alioqui ipse Christus nos deciperet. Et denique ex Tridentino<sup>202</sup> satis colligitur nos cogi ad veritatem Eucharistiae ex ipsa institutione et non ex concione quae habetur Jn 6. Imo nisi fallor tantum abest ut aequaliter deserviat uterque locus ad probandam veritatem Sacramenti altaris ut potius existimem iniuriam irrogari Sacramento ab eo qui ita sentit et docet. (Aquí conviene declarar cómo las palabras de Cristo *caro mea vere est cibus* in Sacramento altaris non continent veritatem absque metaphora, quia sermo est de cibo animae, atque ita non fugimus a sensu proprio ad metaphoricum sed in eadem prorsus metaphora inquirimus qua ratione sit intelligendus locus. Vide antea, lect.3, n.19.) Quamvis enim animum [f.66] laudem et zelum agnoscam, video tamen non satis ab eiusmodi Doctoribus animadverti

<sup>197</sup> JOANNES GERSON, *Tractatus contra haeresim de communione laicorum sub utraque specie*, Opera, tomo 1, Parisiis 1606, col.521.

<sup>198</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, 6,27. Lugduni 1639, p.328.

<sup>199</sup> ID, *Comment. in 3p, q.80, a.12*. Romae 1906, t.12, p.246.

<sup>200</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.447.

<sup>201</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev. Jn*, c.6, v.54. PG123,1310.

<sup>202</sup> CONC. TRIDENT., sess.XIII, c.1. Dz 874.

quanto efficaciore ratione Ecclesia Catolica sibi persuaserit Corpus Christi esse in Sacramento quam si moveretur ex quibusdam Christi verbis quae sic haberent, nempe *ego sum vere cibus a fidelibus manducandus*, nam de his negari non potest quin possent metaphorice accipi, ut a multis catholicis accipiuntur, sed verba institutionis non potuit Ecclesia aliter accipere nisi de vera et reali existentia Christi in Sacramento. (Porque también dijo *ego sum vitis vera etc.*)

9. —Ad 3<sup>um</sup>. De Tridentino iam supra diximus § 4, et similiter Urbanus, in Clementina non utitur huius sexti capituli verbis ad probandam veritatem Sacramenti sed ad eius excellentiam declarandam supposita veritate, qua ratione vidimus optime adduci in sensu litterali supra n.2. Quod vero adducitur ex Concilio Ephesino non esse ad rem quia ibi non est sermo singillatim de Eucharistia sed de carne Christi quam docet esse vivificantem ratione unionis Hypostaticae. Sed dices: saltem in Concilio Nicaeno probari ex hoc capite veritatem Corporis Christi in Sacramento. Respondeo Verum esse quod ibi ab Epiphanius Diacono recitatur iste locus inter alios quatuor evidentissimos; sed primum, in eo Concilio non agebatur de veritate Eucharistiae sed de adoratione imaginum, et cum satis probatum esset haereticum esse eum qui diceret nulla ratione adorandas esse imagines et cum satis probatum esset haereticum esse eum qui diceret nulla ratione adorandas esse imagines Christi, et nonnulli responderent ea nota se non debere inuri quia adorabant imaginem Christi in Sacramento altaris, obiicit eis Epiphanius nomine Concilii numquam in Sacra Scriptura Eucharistiam appellari imaginem sed veritatem, et hoc probat ex variis locis et ex Joannis sexto, in quo, meo iudicio non tam asserit ibi esse sermonem de Eucharistia quam neque ibi appellari imaginem. Cum enim potius de loquutione quam de re esset controversia (neque enim haeretici negarunt Eucharistiae veritatem ante Berengarium) et conveniret inter catholicos et haereticos sermonem hunc vere in Eucharistia intelligi sive de ea sit singillatim dictus sive non, merito potuit Epiphanius haereticorum subterfugio obiicere inter alia caput hoc, maxime cum ad probationem illius negativae nimirum quod numquam imaginis nomen tribuitur Eucharistiae magis e re sit omnes accumulare locos sive certos sive dubios quam certos solos seligere. Deinde dato quod Epiphanius ibi directe ageret contra errorem Berengarii cur non poterat inter alios 4 locos per se cogentes quintum addere quem videret per se quidem non cogere, sed valere ut aiunt ad hominem, supposito quod ex omnium Doctorum consensu constabat ea verba etiam in litterali sensu verissime locum habere in Sacramento altaris. Certe prudentissime Tridentinum eo abstinuit argumento cum videret expositum esse calumniam, sed saltem ante novorum haereticorum cavillationes argumentum erat ex Patrum et Eccleiae litterali accommodatione

optimum et Concilio inter alia non indignum. Vel dico argumentum id non solum sumi ex vera accommodatione sed etiam ex Christi intentione et allusione de qua conveniebat et quam licet appellare litteralem sensum quamvis non cohaereat cum contextu, de quo supra § 6. Et si cui forsam videretur a Concilio definiri aliqua huius capituli verba literaliter dici de Eucharistia non valde contendarem, dummodo non intelligatur de eo literali sensu qui ex contextu consurgit. Quod si obiicias satius esse duplicum contextum litteralem admittere, sequatur sane id qui volet, nam ego nescio utrumque ordinare, ut dixi supra §5, quamvis noverim alioqui id saepe in Sacra Scriptura contingere.

10. —Ad 4<sup>um</sup> et 5<sup>um</sup>, iam supra patet multos Doctores pro nobis esse aperte, et non esse contra nos, qui explicant in Eucharistia id quod in communi dicitur de Carne et Sanguine Christi, imo quamvis ex hoc capite multi argumentarentur contra Berengarium, explicarem eo modo quo Synodus Nicaena; quod vero additur de Eucharistiae necessitate, Respondeo praeceptum constare ex [f.66v] institutione et ex illis verbis *accipite et comedite*, atque ita iam habemus necessitatem praecepti; necessitatem vero *finis* quam appellant non oportuit explicari quia non tenetur Sacra Scriptura singulorum opinionibus se accommodare et praesertim eis quae fortasse nihil aliud continent nisi loquutionem, nam Eucharistiam in voto esse necessariam nihil aliud esse aiunt nisi ex Christi institutione per baptismum homines ordinari ad Eucharistiae susceptionem, et id est baptismum esse Ecclesiae ianuam et ingressis percipiatur ex hoc cibo comedere. Aliam hic subtilitatem ego non invenio et tantum abest ut propter Eucharistiae necessitatem sit iste locus de illa intelligenda ut potius multi cum D. Thoma<sup>203</sup> et Augustino propterea retractent de sacramentali sumptione intelligere ne maiorem Sacramenti necessitatem videantur admittere quam par est.

11. —Ad 6<sup>um</sup> Dico: regulam illam intelligi debere sine contextus praeiudicio, nam si eadem loquutio habet bonum sensum figurate sumpta, nec solum bonum sed etiam praestantiorum, et sensus alioqui bonus propriae loquutionis non cohaeret, quis non videat non eam esse Augustini mentem? Secus enim multa in concione explicabuntur, et dicet quis illud Ps 17 [27] *cum perverso perverteris* referri ad malae societatis perniciem quia relicta cohaerentia hic potest esse proprius eorum verborum sensus. Quod vero additur de pietate in Eucharistiam, iam supra ostendi eam pietatem non in sola fide consistere sed multo magis in huius misteriis et supremi beneficii perpensione cui magis deservit nostra explicatio.

---

<sup>203</sup> THOMAS AQ., *In Jn evangelistam expositio*, c.6. Ed Vivès, 20,49.

12. —Ad 7<sup>um</sup>, fateor Christum in miraculo Eucharistiae institutionem delineasse et ad eam in concione allusisse, sed quia propria eius rei tractatio non expediebat ut ei multitudini proponeretur, ideo maluit Christus directe agere de re multo magis necessaria nimirum de re sacramenti, id est de Carne et Sanguie suo et eius spirituali participatione et simul obiter et quasi indirecte ut se ipsum tunc et postea suos consolaretur sapientissime accommodavit verba ipsi sacramentali mandationi, ita ut misterium maneret misterium, et quod erat magis necessarium expressius doceretur; atque ita, quod Christus ait *panis quem ego dabo*, illudo *dabo* non refertur directe ad Sacramentum sed ad Passionem, nam similiter in ultima coena per futurum dixit *pro vobis et pro multis effundetur*. Manifeste ergo sub illa figura loquutionis agens seorsum de carne et seorsum de sanguine significabat se carnificibus suam permissurum carnem ad vitam mundi et suam effusurum sanguinem, et hoc est quod iudei litigabant quomodo hic per suam necem potest nos spiritualiter reficere, et in hoc etiam discipuli scandalizati sunt quod inteligerent Dominum eis proponere suam ipsius mortem et sanguinis effusionem ad eorum vitam necessariam. Et si hoc magis explicasset magis scandalizarentur. Quod vero iudei de spirituali cibo statim intellexerint, vel ex eo constat quod admonente Christo ut operarentur cibum qui non perit, ipsi de bonae vitae actionibus intellexerint, ut patet ex eorum interrogatione *quid faciemus ut operemur opera Dei*, et quamvis fortasse postea dubitaverint de vero sensu verborum Christi ipse tamen satis expresse docuit se spiritualiter intelligi velle. Quod si dicas mandationem etiam sacramentalem appellari etiam spiritualem, non id nego sed qui spirituale mandationem requirit non requirit sacramentalem, maxime cum saepe commutet verba et loco mandationis postulet fidem vivam (Seis veces por lo menos, nempe nn. 30, 35, 36, 40, 47, etc.).

13. —Ad ultimum, nego antecedens: solum enim significatur eos per mandationem *manna* non consequutos fuisse vitam aeternam, sed quia agnus occisus est ab origine mundi ideo qui eandem escam manducaverunt et eundem potum spiritualem biberunt, per eam fidem vivam consequuti sunt aeternam vitam, et simul etiam fateor melius habere locum hanc metaphoram quoad commodam applicationem post Christi mortem nam qui modo accedunt ad ipsum per fidem videntur ad paratam coenam accedere [f.67] sed nihilominus Paulus de Patribus ita loquitur, et quod obiicitur de duritiae metaphorae non est verum quia considerata Christi passione nihil aptius excogitari potest quam eius carnem assari in cruce ut comedamus et satiemur, et eius sanguinem effundi ut bibamus, atque ita solemus moribundos exhortari praebentes eis osculandam imaginem crucifixi atque dicentes: bibe amice de fonte qui ex Christi latere

fluit. Adde quod cum haec concio orta sit ex occasione convivii aptissime transfert Christus sermonem ad suae redemptionis convivium; praesertim cum illud saepe sub eadem allegoria tractetur in Sacra Scriptura. (In hymno Ecclesiae feriae secundae ad Laudes Dicitur Christus qui nobis sit cibus, potus qui noster sit fides, laeti bibamus sobriam ebrietatem spiritus)

14. Ad ultimam confirmationem, ex Ecclesiae auctoritate iam satis responsum est sicut ad Nicaenum et Patres praeter quam quod maiorem fortasse habet elegantiam quando aliquid affertur ubi est aliqua iocunda allusio vel tacita significatio quam si expresse significaretur id quod celebratur. Vide Evangelium quod canitur in Assumptione Virginis, et in die Jovis Sancti in Eucharistiae institutione et Evangelium octavae Corporis Christi *homo quidam fecit caenam magnam*, etc.

### Lectio 3<sup>a</sup> De concionis contextu

Subiiciamus paraphrasim iuxta numeros qui habentur in textu et postea annotationes. Initium ergo concionis est

v.26: *quaeritis Me non quia vidistis signa*, quasi diceret: non ideo me quaeritis quia ex miraculo agnoscitis divinam virtutem in Me et facultatem satiandi corda vestra, sed id tantum quaeritis quod vidistis, nimirum miraculosam corporum refectionem

v.27: verumtamen ego vos serio admoneo ut operam detis ei cibo quaerendo qui tribuit vitam aeternam, hunc enim ego multo libentius dabo, neque potest vobis aliunde provenire nisi a Me, quem Pater constituit huius coelestis annonae dispensatorem

v.28: Porro iudei cum viderent se admoneri ut quaererent cibum qui secum affert vitam aeternam, statim intellexerunt de Mandatorum Dei observatione et cum eis no accurreret quomodo aliter hunc cibum posset eis praebere Christus nisi aliquid eos docendo per quod facile possent observare legem alioqui difficilem, ideo interrogant ab Illo *quid faciemus ut observemus Mandata Dei?*:

v.29: respondet Christus hoc est mandatum Dei, id nimirum quod per se affert vitam aeternam et tollit caeterorum difficultatem, nempe ut viva fide credatis in Me quem ille misit ut afferam hominibus salutem et vitam

vv.30,31: Hoc auditio postulant illi tantae auctoritatis quam sibi assumit signum aliquod certum, nec enim satis esse quod viderant de miraculosa corporum refectione cum patres eorum Moises in deserto aluerit pane colesti et tamen nihil simile sibi abrogaverit

vv.32,33: Respondet Christus manna illud quod dedit Moises non fuisse vere panem de coelo neque divinum qualem Pater Coelestis praebet, is enim non ab aerea regione sed ab ipso coelo descendit et vitam praebet immortalem  
 v.34,35: porro cum eiusmodi panem illi ab ipso postularent quasi tunc se credituros esse promittentes cum eius virtutem fuissent experti, respondet Christus Ego sum ille Panis qui vitam et satietatem praebeo ei qui rite accedit ad Me per fidem; ita ut de caetero non amplius esuriat neque sitiat.

v.36: hunc ergo panem quem a Me dari vobis petitis, hunc iam praesentem et sufficienter vobis per miracula propositum possetis credendo accipere, sed ut antea dixi vobis, videtis quidem Me et vidistis signa et tamen non accipitis animabus vestris eam vitam et satietatem quia eam non quaeritis neque creditis in Me

v.37: sed quamvis vos non credatis non deerunt qui credant et accedant ad Me quia infallibilis est Patris mei praedestinatio et omnes quos ille mihi dederit ad me venient, Ego vero huiusmodi ad Me venientes non respuo sed eos suscipiam, alam, vivificabo et saturabo

v.38: quia ad hoc descendi de coelo ut faciam voluntatem eius qui misit Me;  
 vv.39,40: et voluntas eius est ut ex omnibus quos ille mihi per certam praedestinationem dedit et qui viva fide in Me credunt neminem sinam perire, atque id quidem verissime praestabo; quamvis enim videantur ii qui in me credunt in praesenti mori, sed ego eos in novissimo die suscitabo et tunc apparebit quam sit vere eorum vita immortalis.

### [f.67v]

v.41,42: murmurabant ergo iudei de illo quia dixisset ego sum panis qui de caelo descendi; qumvis enim metaphora panis intelligerent, sed aiebant nonne hic est Iesus, filius Joseph, non novimus nos eius patrem et matrem, quomodo ergo se de coelo lapsum facit.

v.43,44: murmur hoc compescuit Dominus dicens nolite murmurare et divinae vocationi vestrae murmuratione resistere et indignos vos praebere qui efficaciori auxilio trahamini a Deo ad Me; si enim divinae gratiae impedimentum obiicitis, fortasse eo auxilio privati numquam ad Me pervenietis et consequenter non eritis neque resurrectionis participes, quia nemo potest venire ad Me nisi Pater meus eum trahat, et Ego solum resuscitabo eos qui ad Me veniunt

v.45: quod vero opus sit trahi a Patre per interiorem illuminationem et gratiam ex Prophetarum libro patet in quo habetur omnes Ecclesiae filios doctos esse a Deo, quare oportet non murmurare sed more discipulorum instrui velle a Deo et eius vocationi non resistere sed attendere et audire quod ille interius doceat, et si hoc paestiteritis, proculdubio ad Me pervenietis quia omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad Me

v.46: de interiori loquor auditu atque disciplina per fidem et Spiritus Sancti afflatum, neque enim expectandum est ut Pater visibiliter vos doceat cum nemo eum viderit nisi Ego qui ab illo procedo

v.47: hactenus Christus, a v. 36, sumpta occasione ex incredulitate et repugnantia auditorum interposuit tractationem de divina praedestinatione et efficaciore gratia et auxilio; haec enim omnia optime cohaerebant cum concione quam ipse instituerat de perfecta animarum in Christo satietate. Iam vero redit ad suum institutum et rursus proponit absque metaphora id quod agebat, dicens: *Amen amen dico vobis qui credit in Me habet vitam aeternam*

vv.48,49,50: et statim redit ad supra dictam metaphoram et ad ea verba quae dixerat v.35, nempe *Ego sum panis vitae*, et ad supra dictum discriminem inter hunc panem et antiquum manna

v.51: repetit iterum atque iterum esse panem vivum atque coelestem quo qui pascitur vitam participat immortalem. Quasi assignans discriminem inter panem et mortuum quod panis mortuus et sine vita participat ea a comedente illum, trahitur enim ad comunitionem eiusdem vitae; sed panis vivus et qui per se habet vitam communicat eam comedenti quamvis per se careat illa, atque ita panis coelestis tribuit vitam immortalem atque coelestem. Et hactenus quidem significavit Christus iis qui ad illum accedunt per fidem ut ab eo pascantur, se vitam aeternam tribuere. Sed cum in Christo sint multa, nempe divinitas et humanitas et sanctitas vitae et sapientia disciplinae, etc, nondum explicaverat ad quid peculiariter accedendum esset, iam vero, id explicat, et ait: *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita in sacrificio offerenda, in quo aperte significavit se fore mactandum et in eo sacrificio vitam mundi consistere et eum solum vivere qui pascitur eo misterio et eius fructum per fidem vivam participat.*

v.52: hoc auditu fremebant iudei et contentiose repugnantes quaeritabant quomodo posset eius mors illis prodesse ut caro illius oblata esset eorum animis pabulum coeleste. In quo non quaerebant explicationem sed ostendebant rebellionem quasi obiciientes illud esse impossibile et cachinno excipiendum

v.53: Christus vero cum iam dixisset suam esse daturum carnem pro vita mundi, pergit et ait eum qui ad eam carnem non accedat per fidem ut eo cibo pascat animam suam et divino illo sanguine effuso velut extinguat eius sitim non recipere vitam in se quamvis eam ipse omnibus offerat

v.54: eum vero qui accedit et manducat et bibit statim habere in se vitam aeternam, et mortem ei nihil nocere quia resurget summa cum felicitate in die novissimo

v.55: deinde agit Christus de eius cibi et potus excellentia

v.56: et de intima unione inter se et eos qui eo cibo pascuntur  
 v.57: et de dignitate vitae quam praestat ille cibus ex similitudine vitae qua Christus ipse vivit per Patrem  
 v.58: et tandem tertio repetit supradictum discrimen inter manna et hunc panem cibum.

**[f.68]**

vv.59,60,61: ex supra dicto Christi sermone multi etiam ex iis qui trequentius Dominum sequebantur et eum Magistrum agnoscebant offendii coeperunt et fortasse an eos decipere vellet cum se de coelo lapsum diceret et carnem suam esse vivificantem. Quam infirmitatem intelligens Dominus non videtur eos asperius statim increpare voluisse neque eorum prodere incredulitatem quousque ipsi se proderent; sed familiariter potius putavit eos esse minus increpandos et aliquantulo magis de suorum verborum sensu admonendos. Primum ergo ait: hoc vos perturbat, quasi diceret: tam cito perturbamini? Quid ergo erit si videritis me ascendentem etc.

v.62: si vos perturbat audire hominem descendisse de coelo, quanto magis terrebimini cum eundem non solum audiatis sed etiam videatis in coelum redire? In quo tacite eos invitat ad perseverandum, si vellent tanto miraculo frui quod posit nova et admiranda perturbatione sedare et quasi clavum clavo pellere

v.63: deinde prosequitur: Spiritus est qui vivificat, quasi diceret scio praeterea non posse vos capere quomodo mea caro mactata posit esse vivificatrix vestrarum animarum, quia existimatis me loqui de carne ut caro est, et certum est oportere ut id quod vivificat sit spiritus, atque adeo carnem quatenus caro est inutilem esse ad vivificandum, verum enim vero ea de quibus ego loquutus sum vobis, nempe caro et sanguis meus et carnis meae mactatio et sanguis effusio haec sunt animabus vivificandis spiritus et vita

vv.64,65: sed sunt quidam ex vobis qui non credunt atque adeo non vivificabuntur, et proptera vobis dixi neminem ad me venire posse nisi ei fuerit datum a Patre meo, nempe ut desinatis iam eius inspirationibus resistere et ab eo supplices veniam petatis et lumen.

vv.66,67,etc: deinde multis a Christo discedentibus dixit Jesus ad Apostolos: numquid et vos vultis abire? Cumque Petrus de more pro omnibus responderet ipsos credere et cognoscere quod ipse esset Christus Filius Dei, subiecit Christus se probe nosse unum ex eis ab ipso electis esse diabolum.

### Annotationes circa hunc contextum

1. *Quaeritis me, non quia vidistis signa.* Notat hic Chrysostomus<sup>204</sup> asperius Dominum respondere ut ostendat se humanam gloriam contemnere

<sup>204</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 45.* PG 59,247.

et salutem eorum tantum curare. Non semper ait clementia utendum est et lenitate sed ignavus discipulus acrioribus magistri stimulis excitandus est. Et hoc praesertim habuit aptissimum locum cum quaerebant turbae ut eum regem facerent, nam tunc asperius eos obiurgare habet insigne magnanimitatis exemplum.

**2. *Operamini non cibum qui perit***. Quidam haeretici hinc colligebant non esse laborandum ad quaerendum cibum corporis. Contra quos hic optime Chrysostomus<sup>205</sup> et Theophylactus<sup>206</sup>. Vide Castrum<sup>207</sup>, Contra haereses, l.9 in principio, et Augustinus<sup>208</sup>, De haeresibus c.17. Nota praeterea Dominum his verbis transferre animos auditorum a cupiditate cibi temporalis ad desiderium cibi spiritualis, et illud verbum *operamini* habet hunc sensum: omni studio, cura et sollicitudine satagite habere cibum qui non perit, et dum simul ait *operamini* vos cibum quem Filius Hominis dabit vobis, et nostram diligentiam requirit et suam gratiam pollicetur, et docet utrumque requiri ad salutem et vitam aeternam. Seu potius significat se quidem alium spiritualem cibum praebere, et monet ut eum nos operemur, id est, ut per fidem eum accipiamus et nobis eum praeparemus et manducemus. Porro cum ait *non cibum qui perit* nota cibum corporalem non solum dici perire quia corrumpitur ut nutrit ut etiam quia maxima pars excrementitia est, et quia is etiam quod manet non habet vim nutriendi et arcendi famen nisi ad breve tempus, et huiusmodi etiam sunt honores, divitiae, etc, imo etiam quoad [f.68v] durant pro delectamento saepe fastidium afferunt propter sui inanitatem, unde Christus monet ut potius solliciti simus de cibo qui permanet in vitam aeternam, id est, de ipso Christo per fidem manducando, nam *Jesus Christus heri et hodie ipse et in saecula*, et de gratia eius et de bonis operibus, nam licet haec transeant quantum ad actum, manent quantum ad effectum et praemium, *opera enim iustorum sequentur illos*, quod autem opera dicantur cibus, patet ex Salomon qui hortatur homines ut instanter operentur, *quia apud inferos non est invenire cibum* (Iustitia, immortalis, immarcesibilis semper est).

**3. *Hunc enim Pater signavit Deus***. Coniunctio enim cum sit causalis aperit causam cur iudeai non debeant mirari quod cum ipse sit Filius Hominis, id est, homo ut alii, tamen posit dare cibum permanentem in vitam aeternam, nam licet ego (inquit) secundum conditionem humanae naturae sim similis

<sup>205</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 44*. PG 59,249.

<sup>206</sup> THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev comment. c.6,27*.PG 123,1295.

<sup>207</sup> ALFONSUS DE CASTRO, *Adversus haereses*, l.9, *verbo Labor*. Antverpiae 1565, f.255.

<sup>208</sup> AUGUSTINUS, *De haeresibus*, c.17. PL 42,90.

aliorum, tamen secundum excellentiam et potentiam sum unicus et singularis et insignis inter omnes homines quia mihi Deus ipse Pater est et *me signavit*, id est copia donorum suorum fecit insignem vel potius, *me signavit*, id est me sigillo obsignavit et auctoritate sua confirmavit et comprobavit nam greca vox *sfragis* idem est quod *sigillum*. Sensus ergo est: hunc Deus Pater testimonio vocis suae et prophetarum suorum oraculis et operum meorum miraculis declaravit et comprobavit mitti a se in salutem mundi. Ita Chrysostomus<sup>209</sup>, Titelmanus et Jansenius<sup>210</sup>. Et idem usus est eiusdem vocis c.3 [33] ubi dicitur *qui accipit eius testimonium signavit quia Deus verax est*.

4. Porro triplex est usus apud homines *sigillo* obsignandi aliquam rem. Nam —1º, sigillant ut demonstrent cuius domini sit et prae se ferat nomen vel insigne illius. —2º, ut secernant eam rem ab aliis ne cum illis confundatur, et hoc fieri solet in iis quae sunt homini cara et pretiosa. —3º, sigillo signatur aliquid ut sit occultum. Atque his tribus modis et tribus de causis Christus est signus, nempe ut ostenderetur cuius esset Filius, et a quo missus, et ut esset segregatus a caeteris hominibus peccatoribus tanquam unicus et carus Patri, et signatus etiam est quia in eo reconditi sunt innumerabiles gratiae thesauri.

5. Multis etiam modis dicitur Christus *a Patre signatus*. —1º, *per aeternam generationem*, ex Cyrillo<sup>211</sup>, per quam est perfecta imago et figura substantiae suae. —2º, ex Chrysostomo, per vocis testimonium in Baptismo et Transfiguratione et virtute miraculorum. —3º, ex Augustino, per excellentiam gratiae qua insignitus est et excelsior caelis factus, segregatus a peccatoribus, etc. —4º, per unionem hipostaticam. —5º, per regale diadema et sceptrum dominii, nam *in femore eius scriptum dicitur rex regum* etc. —6º, signatus est, id est, positus in signum ut in ipsum aspicientes salutem consequamur. Vide illud Isaiae [11,10] *stabis in signum populorum*. (*Aspicientes in Auctorem fidei [Hebr 12,2]*). Et supra, c.3, *sicut Moises exaltavit* etc. —7º, signatus dicitur quia *in eo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei*. Et facit illud Apoc 5 de libro clauso et signato septem sigillis. Is enim est Christus scriptus foris et intus, foris homo, intus Deus; foris viator, intus comprehensor; foris passibilis, intus beatus; et septem sigilla sunt: 1º, quomodo idem sit idem substantialiter cum Patre, et distinctus personaliter; 2º, quomodo eadem Persona sit Deus et Homo; 3º, quomodo fuerit conceptus et natus ex Virgine; 4º, quomodo simul infans et perfectus

<sup>209</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 44*. PG 59,249.

<sup>210</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.448.

<sup>211</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev*, I.3. PG 73,482.

vir; 5<sup>um</sup>, quomodo idem simul viator et comprehensor; 6<sup>um</sup>, quomodo simul cruciaretur intimis doloribus et frueretur immensis gaudiis; 7<sup>um</sup>, quomodo simul existat in coelo et in Hostiis innumerabilibus in Sacramento.

**6. *Quid faciemus*,** graece ***quid facimus***. Sacrae Scripturae interrogationibus ut praesens pro futuro ponatur ut significetur paratissimum esse qui loquitur ad faciendum quod interrogat [f.69] ut Lc 22 [49] *Domine si percutimus in gladio? Mt 13 [28] vis imus et colligimus ea?* Lc 9 [54] *vis dicimus ut ignis descendat de coelo?* Sed nostra translatio aliquando phrasim hebraicam reliquit ut erat, aliquando accommodavit ad morem latinorum. Hinc colligitur sensus verborum Caiphae, Jn 11 [47] *quid facimus, quia hic homo* etc quasi diceret videte quo facto opus sit et continuo sine mora faciemus.

**7. *Hoc est opus Dei ut credatis in illum*.** Solet alioqui opus Dei appellari quod a solo Deo fit, atque hac ratione omnis creatura et singulariter homo appellatur opus Dei. Solet etiam iuxta phrasim hebraicam opus excelsum appellari opus Dei, ut mons Dei, cedrus Dei. Praeterea erat cur fides peculiariter dicatur opus Dei, tum quia est donum Dei, tum quia habet pro obiecto Deum, tum etiam quia est quid supernaturale et fundamentum omnium operum divinorum. Sed in paraphrasi potius sequuti sumus eam explicationem in qua opus Dei dicitur quod a Deo praecipitur. Haec enim magis cohaerebat et haec etiam est in Sacra Scriptura usitata, et coniungitur cum cibi metaphora, ut supra c.4, *meus cibus est ut faciam opus eius qui misit me*, et c.17 [4] *opus consummavi quod dedisti mihi*, et hoc est quod in cruce dixit *consummatum est*. Praeterea Jer 17 *maledictus homo qui facit opus Dei negligenter /fraudulenter Jer 48,10].* Quod si quaeras cum sint alia opera ut apparent praestantiora actibus fidei, cur hoc inter caetera Christus appelle singulariter opus Dei, de hoc alibi saepe, ut Ro 1 etc.

**8. *Patres nostri manducaverunt manna.*** Praeter sensum qui habetur in paraphrasi volunt aliqui iudeos non petisse signum in fidei confirmationem sed potius ut iterum a Domino miraculose pascerentur quasi simulasse sibi satis non esse quod viderant, volebant enim otiosi pasci a Christo in deserto, more veterum patrum. De interpraetatione vero nominis *manna* nota eam haberi Ex 16,15 *dixerunt filii Israel ad invicem man hu, (quod significat quid est hoc)*, et praeterea v.31, *appellavitque domus Israel nomen eius Man*, ubi videtur etimologia nominis ad rei admirationem referri; sed hebreai (ut aiunt) non recipiunt hanc explicationem, nam de suo adiecit Hieronymus illa verba (*quod signifucat quid est hoc*), et ideo ipsi

aliter interpraetantur ut *Man* sit donum, a verbo Manah. Ita Pagninus<sup>212</sup> in Thesauro et Vatablus, Ex 16; et probant quia hebraice pro *quid* non dicitur man sed mah. Respondeo, tamen non solum Hieronymus ita intellexisse ut habet nostra translatio sed etiam Septuaginta, et qui caldaicam paraphrasim vertit in latinam. Et hanc esse praestantiorum explicationem patet ex verbis sequentibus *ignorabant enim quid esset*. Nota igitur *Man* esse vocem usitatam Caldaeis et hebreis, et idem esse quod *quid* aut *quod*. Ut Daniel 3 [6], *si quis autem non prostratus adoraverit* etc et ibidem *quis est Deus qui eripiet vos* etc, et Ps 60 *misericordiam et veritatem eius quis requiret*. Denique ad convincendam recentiorum hebraeorum ignorantiam Josephus<sup>213</sup>, 3 Antiquitatum c.1 ait: *hebraei hoc manna vocant, nam haec vox in nostra vernacula est percontativa quid hoc est interrogans*. Et ex his patet literam enim non esse adiectionem sillabicam ut putaverunt Ex 16 [15] Cajetanus<sup>214</sup> et Lipomanus et Jansenius<sup>215</sup> c.59, sed esse ex literis nativis ipsius dictionis man.

9. In comparatione Manna cum eo pane quem praebet nobis Christus oportet expendere quam fuerit merito celebris illius cibi memoria : —1°, propter 40 annorum miraculum; —2°, propter continuam diei sabbati intercessionem; —3°, quod in diem sabbati sine putrefactione conservabatur ex die praecedenti et non in aliud diem; —4°, quod cibus qui alioqui si paulo plus ex eo comedatur nocet, nihilominus pasceret, roboraret et in sanitate conservaret homines; —5°, quod praeter notabilem saporem de quo Ex 16 [31] [f.69v] deserviebat uniuscuiusque voluntati et convertebatur ad quod quisque volebat Sap 16 [21], atque hoc non praestabat nisi in bonis et piis, nam contumaces et rebelles potius eum fastidiebant ut patet v.2 et 21.

Deinde perpende quantum praestet cibus cibo, et —1° quanto maiori iure noster Panis dicatur *Panis Dei*, id enim nomen tribuitur manna Ps 77[24] et Sap 16[20], vel quod in eo Deus suam ostenderet potentiam et liberalitatem vel phrasi hebraica propter rei excellentiam. Sed noster Panis est vere Panis Dei eo modo quo dicimus pan de trigo o pan de cebada, vel Panis Dei, id est quo Deus ipse vescitur.

—2° vocatur manna *panis angelorum* vel quia eorum fieret ministerio, vel hiperbolice ad significandam eius excellentiam, sicut de excellenti vino dicitur vino de ángeles, id est qui non videretur hominibus sed angelis dignus.

<sup>212</sup> SANCTES PAGNIUS O.P., *Thesaurus linguae sanctae sive Lexicon hebraicum*, Lugduni 1577, col.1416.

<sup>213</sup> JOSEPHUS, *Antiquitatum judaicarum*, I.3, c.1. Basileae 1554, p.57.

<sup>214</sup> THOMAS DE VIO CAIETANUS, *Commentarii in Exodum*, 16,15. Lyon 1639, t.1, p.195.

<sup>215</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.449.

Sed Christus est vere Panis angelorum quia eo potissimum reficiuntur angeli, et hic est cibus ille quo Raphael dixit Tobiae se vesci.

—3º utique panis dicitur *de coelo descendisse*, sed alter ex coelo aereo ut patet Ps 77 [23s] *mandavit nubibus desuper et ianuas coeli aperuit et pluit illis manna*. Ergo descendebat ex eo loco ubi sunt nubes et fit pluvia; noster vero Panis ex supremo coelorum, imo huic phrasi plus deficit in nostro Pane quam superest in antiquo. Vide ergo quam merito Christus se ipsum appellat Panem verum, id est verum manna, nam veritas tantorum nominum non poterat esse in figura nisi figuraliter, in Christo inest illius divinitatis plenitudo corporaliter. Et hoc veritatis corpore vere reficit animas mortalium et eos reddit immortales et perfecte explet eorum famen et sitim, et omnem tribuens spiritus suavitatem. Cum tamen manna non esset nisi corporum cibus, atque is corruptibilis, neque siti sufficiens neque a morte liberans. Et denique manna non erat cibus vivus atque adeo non vivificabat mortuos sicut Christus.

10. ***Semper da nobis panem hunc.*** Petierunt hunc panem et quasi deficere possit et vim non habeat perpetuam nutriendi addiderunt *semper da nobis*. Hoc metu eos liberat, si velint ad se accedere per fidem vivam, promittit quod non solum cibum sed etiam potum, et eiusmodi ut numquam amplius esuriant neque sitiant. Vide supra, c.4 super illa verba *qui biberit ex hoc aqua non sitiet in aeternum*.

11. ***Dixi vobis quia et vidistis me et non creditis.*** Videre rem dicitur more Scripturae et vulgari qui eam habet ante oculos et facillime posset cognoscere licet plane non cognoscatur, ut Mt 13 [13s] *videntes non vident et adimpletur in eis prophetia Isaiae dicens videntes videbitis et non videbitis*. Quod si quaeras ubi hoc dixerat eis Dominus? In contextu sequuti sumus Jansenium<sup>216</sup> atque Montanum, quamvis Cyrillus<sup>217</sup> explicet id Dominum dixisse olim per Isaiam, c.6, in verbis nunc citatis.

12. ***Omne quod dat mihi Pater.*** Genus neutrum aptius videtur ad omnimodam comprehensionem marium et foeminarum, iudeeorum, gentilium, doctorum, indoctororum, etc. Sic universarum creaturarum collectionem philosophi appellant universum, et sic etiam loquitur Dominus c.12 [32] *Ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me*, et Paulus, 1Cor 12 *omnia ex Deo* etc.

<sup>216</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.450.

<sup>217</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 6,36. PG 73,522.

13. *Non eiiciam foras.* Ex quibusdam graecis nonnulli volunt legendum esse *non eiicio*, sed Chrysostomus<sup>218</sup>, Cyrillus<sup>219</sup> et Theophylactus<sup>220</sup> videntur in futuro legisse. Praeterea Sacra Scriptura hic ut saepe alibi, plus significat quam dicere videatur, unde Augustinus<sup>221</sup>, tract. 25: *quale est illud intus unde non exitur foras, magnum penetrale et dulce secretum sine tedio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum et dolorum? Nonne illud secretum est quo intravit ille cui dicturus est Dominus serve bone intra in gaudium Domini tui.*

14. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Haec sententia saepe usurpatur et inculcatur in omnibus Conciliis in quibus disseritur de necessitate divinae gratiae preventientis ut [f.70] in Milevitano<sup>222</sup>, Arausicano<sup>223</sup> et Tridentino<sup>224</sup>, et similiter frequenter ea utuntur Patres qui contra Pelagianos scripsere. Sed notat optime Augustinus stultissime Manichaeos ex his verbis tollere libertatem quasi non trahatur nisi ille cui omnino affertur vis cum usitatissimum sit *trahi* pro eo quod est suaviter adduci et vehementer inclinari Prov 7 [22] *sequitur eam quasi bos ductus ad victimam et nescit quod ad vincula stultus trahatur*; Cant 1 [3] *trahe me post te curremus in odorem unguentorum* etc. Os 11 [4] *in funiculis Adam traham eos in vinculis caritatis.* Et Cicero, 1º Officiorum *omnes ducimur et trahimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem*, et Pro Archia *trahimur omnes laudis studio.* Augustinus<sup>225</sup> etiam citat ex Virgilio quod ait: *trahit sua quemque voluptas.*

Sed fortasse Manichaei non tam nitebantur voce quam sententia male intellecta, nam non omnes se facile expediunt a difficultate quae hinc videtur consurgere, nempe nemo venit ad Christum nisi trahatur a Patre et quoscumque ille trahit veniunt ad Christum; ergo cum mea obedientia necessario pendeat ex suppositione quae nullo modo est in mea potestate, non manet in me libertas ad obediendum. — Respondeo 1º, inter impulsum divinum et affectum non esse connexionem physicae necessitatis sed suavis infallibilitatis, et haec non tollit meritum neque libertatem. Atque ita quamvis omnes et soli quos Deus vocat venissent ad Christum nihilominus manet homini libertas. — Respondeo 2º, non omnes quos Deus intensius vocat ad Christum venire,

<sup>218</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 45.* PG 59,255.

<sup>219</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev*, 6,37. PG 73536.

<sup>220</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn*, c.6, v.37. PG 123,1300.

<sup>221</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev.* Tract.25. PL 35,1603.

<sup>222</sup> CONCIL. MILEV. CARTHAGIN.XVI, *cn 3ss.* Dz 103ss.

<sup>223</sup> BONIFATIUS II, *Confirmatio Arausicani II.* Dz 200 b.

<sup>224</sup> CONCIL. TRIDENTINUM, *sess.VI, canones de iustific.* Dz 811ss.

<sup>225</sup> Id. *ibid.*

quia non omnes adeo infallibili impulsu movet et sine infallibili impulsu fortasse multi obediunt. Et nihilominus verum est omnes et solos qui a Deo trahuntur ad Christum venire, quia trahi non solum dicit impulsu Dei sed etiam hominis obedientiam, nec enim dicetur quis ducere et trahere eum quem vocavit quamvis ille renuerit, neque necesse est ut qui dicitur trahere adhibeat impulsu omnino infallibilem, ut patet ex locis supra adductis. — Respondeo 3º, ex contextu apparere potius hanc sententiam dictam esse a Christo ut homines moneret ne divinae vocationi communi resisterent et obicem Deo ponerent, unde tantum abest ut haec sententia valeat ad nostrae libertatis eversionem, ut potius ex ea evidenter confirmetur homines esse liberos et ex eorum libertate pendere divinae vocationis effectum, quia alioqui stulte admonerentur ut videant ne Deo vocanti resistant quia si eum deserunt non poterunt ad vitam pervenire. Ex dictis colligitur in *trahendi* verbo includi maximum quandam impulsu, sed non semper suapte natura infallibilem quanto ad effectum ad quem inclinat, quamvis merito dicatur quodammodo afferre vim praesertim quando est paulo vehementior, atque ita obsecramus Deum ut compellat nostras sibi rebelles servire voluntates, non quidem rebelles quando iam serviunt, quia tunc libentissime serviunt saltem quoad partem superiorem, sed rebelles antequam compellerentur. Praeterea scholastici notant aptius tribui *trahendi* verbum Deo quam ulli creaturae, quia illae non trahunt nisi obiective sed Deus etiam effective inclinando immediate ipsam voluntatem.

**15. *Erunt omnes docibiles Dei.*** Locus est Isaiae 54 [13] *ponam universos filios tuos doctos a Domino* et nihil etiam vetat intelligere de aliis etiam locis in quibus eadem sententia aliis verbis legitur, ut Ier 31 [33] *dabo legem meam in visceribus eorum et in cordibus eorum scribam eam*, et Isaiae 2 [3] et Micheae 4 [2] *docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius*. Vide Augustinum<sup>226</sup>, *De gratia Christi contra Pelagium et Celestium* c.12 et 13.

Deinde, circa hoc nomen *docibile* nota in Sacra Scriptura poni et active et passive sicut apud latinos *sensibile*, quod sentitur vel quod sentit, *penetrabile* quod penetratur vel quod penetrat. [f.70 v] *Docibilis* ergo active dicitur qui aptus est ad docendum, ut 2Tim 2 [24] *servum autem Domini non oportet litigare sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem*, etc, id est potius ipsum esse ad docendum alios veritatem quam novit quam ad litigandum. Nam graece est *didacticos* quod vertitur *doctor*, 1Tim 3 [2] *oportet episcopum irreprehensibilem esse etc hospitalem, doctorem*, etc. Quando vero *docibilis* significat discipulum docilem in graeco est *didactos*, ut in praesenti. Et Isaias 54 apud 70. Et 1Tesan 4 [9] *ipsi enim a Deo didicistis*, graece *theodidactoi* estis, id est discipuli Dei,

<sup>226</sup> AUGUSTINUS, *De gratia Christi*, I.1, c.12s. PL 44,367.

edocti a Deo. Isaias 54. Hebraea vox est *limudim*. Et eadem est c.8 [16] *signa legem in discipulis meis* et c.50 [4] *Dominus dedit mihi linguam eruditam* sive eruditorum. Videtur ergo nomen *docibilis* eam vim habere quam habet vendibile dum dicimus vendibile vinum quod passim venditur, ita docibiles Dei non qui semel ab eo docti sunt sed qui frequenter ab eo docentur.

**16. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt.*** Augustinus<sup>227</sup>, tract. 26, Beda<sup>228</sup>, Glossa, et S. Thomas<sup>229</sup> videntur hoc de malis intelligere ut sermo sit de morte animae. Sed hanc expositionem optime reicit Jansenius<sup>230</sup>, quia non constitueret discrimen inter *manna et panem vitae*, quod omnino intendit Dominus dum ait mortuos esse qui manducaverunt manna, non mori autem qui manducant panem vitae. Dicendum est ergo cum Cajetano<sup>231</sup> constitui differentiam inter manna et panem Christi non secundum idem omnino sed secundum idem proportione ad hunc modum: manna cibus erat alendo corpori datus, et panis Christi datur alendae animae, sed manna tam exiguae virtutis fuit ut cum corpori solum prodesset non potuerit illud a morte servare, sed panis Christi non solum praebet animae alimentum ad tempus sed etiam ad vitam aeternam ex qua postea redundavit in corpore. Vel dic comparationem praecise fieri in effectu quem uterque cibus natus est efficere contra mortem corporis, nam ab ea defendebat tantisper comedentem manna, sed non in aeternum quia non relinquebat in eo semen immortalitatis sicut panis Christi, qui relinquit in comedente vim quandam immortalitatis effectricem ita ut quamvis moriatur non moriatur in aeternum, quia divina illa vis a pane divino participata faciet eum resurgere in novissimo die et quasi a somno excitabit, et tunc vita quae erat abscondita apparebit. Cum hac explicandi ratione optime cohaeret quod toties inculcat Christus de resurrectione. Atque ita optime explicat Cyrilus<sup>232</sup>. Chrysostomus vero et Theophylactus<sup>233</sup> aiunt addidisse Dominum illam dictionem *in deserto* ut significaret manna non diu durasse sed panem vitae omni saeculo et omni loco omnibus proponi.

**17. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis et biberitis eius Sanguinem*** etc. Qui de sacramentali manducatione Eucharistiae haec intelligunt duas hic tractant quaestiones: —Prima est quomodo nihilominus pueri baptizati sine

<sup>227</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev. Tract. 26.* PL 35,1611.

<sup>228</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.6. PL 92,717.

<sup>229</sup> THOMAS AQ., *In Jn Evangelistam expositio*, c.6. Ed Vivès 20,45.

<sup>230</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, c.59, p.454,E.

<sup>231</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, 6,31. Lugduni 1639, p.329.

<sup>232</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 6,48. PG 73,559.

<sup>233</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn*, c.6, v.48. PG 123,1307.

Eucharistia consequuntur salutem, a qua ego facile me expedirem dicendo Dominum loqui de adultis nam ad illos ait *nisi manducaveritis*, et non ait *nisi quis manducaverit*.

—Altera difficultas est quomodo non colligatur ex his verbis necessitas communicandi sub utraque specie, quia sub specie panis non bibitur Sanguis, ut affirmat Innocentius III<sup>234</sup>, 1.4 De sacro altaris mysterio, c.21. Et ad hoc aiunt nonnulli Christum agere cum Ecclesia et eam obligare ad utriusque speciei sumptionem, non ita ut singuli utramque suscipiant, quia eandem efficaciam reliquit Christus in specie panis, sed quos illa iudicaverit expedire. Notae sunt etiam aliae solutiones sive explicationes, sed in contextu quem nos sequimur nullus eiusmodi scrupulus occurrit, imo [f.71] hinc nos sumimus argumentum Christum loqui de spirituali manducatione per fidem, quia videtur dicere neminem habere in se vitam quoisque manducat; ergo qui baptizatus est iam manducavit, ut explicat Augustinus<sup>235</sup> et Innocentius I, et omnes supradicti. Quod si respondeas illum vivere quia iam saltem in voto accesit ad Eucharistiam, si votum est obligatio quam habet et Christi institutio, non propterea vivit qui baptizatus est quod ad Eucharistiam est destinatus, sed formaliter ex eo quod per fidem vivam Christo est unitus; ergo de hac unione loquitur Christus.

18. ***Caro enim mea vere est cibus et Sanguis meus vere est potus.*** Veritas —1º opponitur *falsitati*, et sib c Christus est vere cibus animae quia vere habet omnes cibi conditiones de quibus Aristoteles, 1 De Generatione c.1: vere enim repellit famen, nutrit animum, deperditum restaurat; et in Eucharistia accedit ad rationem veri cibi in eo quod vere intra nos recipitur sub specie cibi corporalis. —2º, veritas opponitur *figurae*, et sic Christus est verus manna, id est corpus illius umbrae, et per illum cibum figuratus et per aquam de petra. —3º, veritas dicit *excellentiam* et distinguit ab eo quod est tale per participationem, ut, c.1º: *erat Lux vera*; merito ergo solus Christus dicitur verus animae cibus, quia nihil aliud perfecte sitim et famen nostram extinguit, et ille non solum nutrit sed etiam tribuit vitam aeternam.

Sed obiicies: verum cibum esse nutrimentum viventis, et de ratione nutrimenti esse ut non nutriat nisi corruptum et mutatum in substantiam viventis, et hoc non quadrat in Carne Christi, nam refert Augustinus<sup>236</sup>, 7 Confessionum, c.10, dixisse sibi Dominum ego *sum cibus grandium, cresce et manducabis me, sed non tu me convertes in te sed tu mutaberis in me.* Respondeo Christum habere ex cibo corporali quod est in eo perfectionis,

<sup>234</sup> INNOCENTIUS III, *De sacro altaris mysterio*, 1.4, c.21. PL 217,871.

<sup>235</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev. Tract.27*. PL 35,1618.

<sup>236</sup> AUGUSTINUS, *Confessionum*, 1.7, c.10. PL32,742.

non autem id quod est imperfectionis: perfectionis sunt conservare vitam, delectare, roborare, augere, reficere, sedare famen, etc; imperfectionis vero quod non possit eiusmodi effectus praestare nisi frangatur dentibus et corrumpatur.

**19. In Me manet et Ego in illo.** Hac loquendi ratione videtur explicare Christus se non proprie loqui de cibo sed metaphorice, id quod etiam in Eucharistia locum habet, nam quamvis in ea vere et realiter existat Caro Christi, sed non est cibus animae nisi metaphorice. Et —**dico** Christum id in hac sententia significare quia proprius cibus manet in comedente, sed non manet ipse manducans in cibo.

—**2º, nota** hanc intimam unionem per quam dicitur *in Me manet et Ego in eo*, explicari a Cyrillo<sup>237</sup> per comparationem liquefactae cereae in aliam infusae quae per totum commiscentur. Et adducit illud Mt 13 [33] *simile est regnum coelorum fermento quod acceptum abscondit mulier in farinae satis tribus donec fermentaretur totum*, et ait *sicut parum fermenti* (ut inquit Paulus [1Cor 5,6]) *totam massam fermentat*, sic parvula benedictio totum honorem in se ipsam attrahit et sua gratia replet et hoc modo in nobis Christus manet et nos in Christo, vere enim totum fermentum in totam massam pertransit. Haec Cyrus. Sed si quis consulat aures non satis est quaelibet unio realis ut ea phrasis apte cadat *in me manet et ego in eo*, nec enim dicitur massam manere in fermento neque corpus in anima neque vinum in aqua quae infunditur illi. Adde quod quando duo uniuntur inter se ita ut unum videatur et alterum lateat et veluti absumatur, tunc bene dicitur id quod latet esse in altero sed non e converso; quare indiget explicatione huiusmodi phrasis commutatio atque conversio.

—**3º nota**, eam esse familiarem Joanni, [**f.71v**] nam in epistola 1, c.4 [16], ait *qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo*. Et c.3 [24] *qui servat mandata eius in illo manet et ipse in eo*. Et [4,13] *in hoc cognoscimus quod in eo manemus et ipse in nobis quoniam de Spiritu suo dedit nobis*. Praeterea eisdem verbis utitur Christus loquens de se et Patre, Jn 14 [11] *non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?*

—**Dico 4º**, hac phrasi posse denotari mutuum amorem quia amans communiter dicitur esse in amato, cogitando de illo, optando illi bona, etc. Et fortasse Christus hac ratione significavit se vesci et delectari iis qui vescuntur ipso, atque adeo illos esse cibum Christi qui Christum habent pro cibo. Et facit illud Ignatii<sup>238</sup> *frumentum Christi sum bestiarum dentibus molar ut panis mundus efficiar Christo*. Perpende ergo quanti faciendum sit id quod his

<sup>237</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 6,57. PG 73,583.

<sup>238</sup> IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Epistola ad Romanos*. PG 5,690.

verbis significatur, nimirum ita fideles amari a Christo ut totus sit in illis vel ut ipsi dicantur esse in ipso id est in eius visceribus, et quod eos secum gestet in Corde, et pro hac mutui amoris significandi ratione vide illud Cant [2,16] *dilectus meus mihi et ego illi.*

—**Dico 5º**, per gratiam hominem assimilari Christo, et eam similitudinem optime ea pharsi explicari, et cohaeret optime cum cibi metaphora, nam divinus iste cibus suas qualitates communicat comedenti et eum in Christum transformat, atque ita efficit ut Christus in suis velut in speculo conspiciatur. Et omnino valde favet huic explicationi quod in eo prorsus sensu videatur Dominus dixisse Philippo, c.14 [11] *non credis quia ego in Patre et Pater in Me est?*

—Alii possunt multiplicari sensus si quis velit non eodem modo hominem esse in Christo atque Christum in homine sed frequens huius loquutionis conversio videtur postulare ut eodem modo utraque pars accipiatur, id est vel utraque per amorem, vel utraque per similitudinem, etc.

**20. Sicut misit Me vivens Pater et Ego vivo propter Patrem, et qui manducat Me, et ipse vivet propter Me.** —**Dico 1º**, constructionem huius sententiae omnino revocandam esse ad hanc formam, nempe: sicut ego missus a Patre vivo propter Patrem, sic manducans Me vivet propter Me.

—**Dico 2º**, illud *propter* non debere accipi in praesenti tanquam obiectum amatum ad quod refertur vita, eo modo quo Paulus saepe dixit Christum Deo vivere et nos Christo, ita ut *propter* designet id cuius gratia vivitur, non debet inquam in praesenti eo modo accipi, quia constat illud *propter* denotare hic originem vitae, ita ut significetur vitam Christi derivari a vita Patris, et vitam nostram a vita Christi; et hoc patet, tum ex contextu, quia id omnino indicatur in illo epiteto *sicut misit Me vivens Pater*, quod alioqui inepte abundaret, tum ex omnium Doctorum consensu. Et confirmatur valde ex Ephesino<sup>239</sup> et Tridentino<sup>240</sup> quae hinc probant Carnem Christi esse vivificatricem. Ergo id prorsus significat illud *propter*.

—**Dico 3º**, eos qui volunt hanc sententiam omnino referri ad Eucharistiam subtiliter cum Hilario [f.72] exponere de comparatione eius ineffabilis unionis cum Christo quae fit in Sacramento cum ea unitate quam habent inter se Pater et Filius, ad eum fere modum quo catholici exponunt eam Christi orationem in qua ait *ut sint unum sicut et nos*, nisi quod haec comparatio in Eucharistia videtur proprius accedere propter illam divinam et realem et intrinsecam coniunctionem Christi cum fidelibus, et ea ratione videtur locus maxime deservire contra haereticos qui presentiam Christi negant, quandoquidem ea

<sup>239</sup> CONC. EPHEGINUM, c.4, epist. Cyrilli ad Nestorium. Mansi, Acta Concil., t.1,1290.

<sup>240</sup> CONC. TRIDENTINUM, sess.XIII, c.2. Dz.875.

sublata nihil esset in hoc Sacramento peculiare cur coniunctio cum Christo conferretur divinarum Personarum vitali coniunctioni.

—**Dico 4º**, eum sensum non videri admodum litteralem, nam praeter alia non cohaerent cum eo illa verba *sicut misit Me vivens Pater*; quae omnino postulant ut Christus intelligatur loqui de Se quatenus misso, et de vita quam ei Pater communicat qua ratione misit eum.

—**Dico 5º**, optimum atque legitimum sensum videri ut Christus dicat se missum fuisse a Patre qui est fons et origo vitae, copiosissime sibi et excellentissima ratione ea vita supernaturali communicata, ut eam ipse suis fidelibus communicaret sicut eam a Patre acceperat, non quidem prorsus eodem modo sed tamen ita sublimi ut merito fiat comparatio; debet autem fieri cum omni vita quam Christus accepit in eo quod est missus a Patre. Et quidem Christus Homo accepit vitam divinam per unionem hypostaticam, et praeterea uberrimam vitam gratiae et sapientiae etc. Sic ergo Christus eos qui ad ipsum accedunt per inhabitationem divini Spiritus divina quadam ratione eos Dei templum facit, atque deiformes, et praeterea gratissimos Deo, sapientes, et a corruptione mortis liberos, etc. Atque si hoc in spirituali unione verum habet, quanto magis in ea manducatione quae simul sit sacramentalis et spiritualis? Verba certe deficiunt.

21. ***Si ergo videritis Filium Hominis ascendentem***, etc. Vide an contextus posit esse huiusmodi quasi diceret: ¿y si me veis subir al cielo no os quietaréis y pensaréis que bajé de allá? Pues algún día lo vereis si perseverais, etc

[f.73]

### Summa capitinis 7

Christus *affines* ad festum Tabernaculorum profectos clam sequitur.

—vv.12,15,25,31,42: murmur de illo et varia vulgi iudicia, et multorum fides.

—v.14 etc.: docet in Templo, et postea agit cum eis de sua doctrina et de illorum odio. Probat quod se no violasse sabbatum in aegroti curatione.

—v.28: clamat se esse missum a vero Deo quem iudei ignorabant.

—vv.30,32,40: pharisaei iubent Christum comprehendi; et quid obiectum fuerit ministris et Nicodemo.

—v.33: murmur de sensu illorum verborum *vado ad eum* etc.

—v.38 clamat iterum Christus *si quis sitit veniat et bibat*.

*Lectio prima*

1. Dubitatur 1º, an Dominus penultimum Pascha fecerit in Hierusalem.

—**Dico 1º**, aperte id negare Chrysostomum<sup>241</sup>, Cyrillum<sup>242</sup> et Theophylactum<sup>243</sup> initio capituli 6[7], quorum sententia est valde probabilis quia Dominus multiplicavit panes paulo ante Pascha, (cum pace Jansenii<sup>244</sup> c.6 in principio) et statim post concionem subdit Evangelista *post haec ambulabat Jesus in Galilaea, non enim volebat in Iudea ambulare*, sic enim legendum est in ablativo, ut constat ex graecis et ex Erasmo<sup>245</sup>, Cajetano<sup>246</sup>, Isidoro, Benedicto atque Jansenio; neque contra est quod Theophylactus<sup>247</sup> in commentario dicat Dominum secessisse in Galilaeam, quia quod ait *secesit* perinde est ac si dicat Dominum quo tempore videbatur in Iudeam profecturum ad alia Galileae oppida divertisse, atque id proprie videtur esse ambulare in Iudea, nempe vagari per oppida Iudeae.

—**Dico 2º**, quamvis legamus in accusativo *ambulabat in Galilaeam* non esse intelligendum propterea sic dici eo quod esset extra Galilaeam quasi statim post multiplicatos panes se contulisset Hierosolymam ad faciendum Pascha, et inde sine mora revertatur. Haec inquam explicatio non habet locum, quia libri qui legunt Galilaeam in accusativo similiter legunt Iudeam; sed nolle ambulare in Iudeam non arguit eum esse extra Iudeam ex hypothesi. Ergo neque ambulare in Galilaeam arguit esse extra Galilaeam. Omnino ergo debet accipi accusativus pro ablativo vel explicari de interiori Galilaeae, sicut c.6, v.22 *cum Dominus esset Hierosolymis* dicitur venisse in Iudeam terram.

—**Dico 3º**, pro sententia Chrysostomi, Cyrilli<sup>248</sup> et Theophylacti, manifestius [f.73v] deservire eam lectionem quam se quidam invenisse ait, nempe *ambulabat Jesus in Galilaea* (in ablativo) *non enim volebat in Iudeam ambulare* (in accusativo). Suspicor enim hoc esse optatum potius quam inventum, et utcumque sit, certum est quod *ambulare* in praesenti significat conversari, et non proficisci a Iudea in Galilaeam. Sed nihilominus,

—**Dico 4º**, non esse certum quod Dominus in penultimo Paschate non adfuit Hierosolimis, quia quamvis multiplicavit panes proxime ante Pascha, sed non ita proxime ut non potuerit commode post illam concionem pervenire Hierosolimam ante Pascha, alioqui enim videretur consentire

<sup>241</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 42 (41) in Jn.* PG 59,239.

<sup>242</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 7,1. PG 73,634.

<sup>243</sup> THEOPHYLACTUS,, *Enarr in Ev Jn* c.7, v.1. PG 123,1319.

<sup>244</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, p.447 A.

<sup>245</sup> ERASMUS DE ROTTERDAM, *Versio Novi Test. Jn c.7,1.* Lugduni 1706, t.7, col.553.

<sup>246</sup> THOMAS A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev*, c.7,1. Lugduni 1639, p.338.

<sup>247</sup> THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev comment.* c.7,1. PG 123,1319.

<sup>248</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 7,1. PG 73,631.

peccato discipulorum et totius illius multitudinis quae contempto Paschate permanebat in Galilaea. Et quod modo subdit Evangelista, nempe post haec ambulabat in Galilaea, fotasse non necesse est ut intelligatur de tempore immediate sequenti post concionem praedictam. Adde quod iter religionis causa susceptum et brevi peractum non impedit quominus dicatur Dominus in Galilaea degere et non in Iudea; et *ambulare*, hebraea phrasi, idem est quod degere et conversari, quasi diceret que no estaba ya de proposito ni vivía en Iudea ni predicaba allá ni trataba sino en Galilea.

—**Dico 5º:** dato quod Dominus ad Pascha non accesserit, non videri legitimam illam rationem absentiae quam afferunt Chrysostomus<sup>249</sup> et Theophylactus, nempe, ut paulatim legem solvere inciperet, doceret quod non diu fore permansuram. Haec ratio non bene convenit cum ea lege observantiae quam Christus usque ad mortem coluit factus sub lege *ut eos qui sub lege erant redimeret*, et evitans pusillorum scandalum. Multo ergo aptior absentiae ratio est quam hic videtur reddere Joannes, nempe *quia quaerebant eum iudei interficere*, certum enim erat id praeceptum non obligare cum evidenti mortis periculo, et insidiarum fama tollebat scandalum. Quam vero sapienter Christus se gesserit in periculis aliquando pro humana conditione fugiendo et aliquando pro divina virtute contemnendo, saepe et optime sacri Doctores; subtilior est concordia fugae cum ardentí mortis desiderio, sed de hac alibi.

2. Quaerit Jansenius, c.60<sup>250</sup> cur Joannes quasi rem novam dicat Dominum post haec ambulasse in Galilaea, cum constet iam pridie Dominum fuisse in Galilaea conversatum. Sed ad hoc facile responderent Chrysostomus et Theophylactus, nempe id propterea notari de novo quia novum fuit velle tempore paschali manere in Galilaea. Vel dicamus hac notatione ostendi benevolam Christi erga Iudeos voluntatem, qui toties voluit eos veluti sub alis congregare et noluerunt. Quasi diceret Christum quidem ex se optaret cum iudeis conversari sed eorum malevolentia illum intra Galilaeam continebat.

3. ***Non enim volebat in Iudea ambulare.*** Erasmus<sup>251</sup> notat in graecis nonnullis codicibus olim lectum esse *non habebat potestatem aut non valebat ambulare in Iudea*. Et ita legisse putat Chrysostomum<sup>252</sup>, Cyrillum<sup>253</sup> et Augustinum.

<sup>249</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 48 (47), 42 (41)* in Jn. PG 59,272,239.

<sup>250</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.60. Lugduni 1580, p.465.

<sup>251</sup> DESIDERIUS ERASMUS, *Versio Novi Test. Jn c.7,1, nota.* Lugduni t.7, 1705, col.367.

<sup>252</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 48 (47) in Jn.* PG 59,269.

<sup>253</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev 7,1.* PG 73,631.

—**Dico 1º**, non male habere quod attinet ad sensum si legamus *non valebat*. Vide id Mc 6,5 *non poterat ibi ullam virtutem facere*.

—**Dico 2º**, lectionem legitimam esse *non volebat*, ut patet ex graecis et ex ipso textu qui est in Chrysostomo<sup>254</sup> et Augustino<sup>255</sup> et ex commentario Theophylacti<sup>256</sup> et omnium [f.74] excepto Chrysostomo<sup>257</sup> qui homilia 47 quaerit quomodo non haberet potestatem ambulandi in Iudea qui omnia poterat. Sed haec dubitatio locum etiam habet in nostra lectione quoniam Joannes dicendo nolebat ambulare in Iudea quoniam quaerebant eum Iudei interficere relinquunt locum obiectioni, nam qui fugit videtur non habere potestatem super hostes, unde Augustinus<sup>258</sup> respondet *non ipse perdiderat potestatem sed nostram consulabatur fragilitatem*. Et tamen constat Augustinum<sup>259</sup> leguisse *nolebat*, quia statim ait sic enim dictum est *nolebat ambulare in Iudeam quasi non posset ambulare inter iudeos et non occidi a Iudeis*.

4. ***Quia quaerebant eum Iudei interficere.*** Huius malevolentiae origo et ratio habetur c.5,18, nempe curatio aegroti ad piscinam in sabbato, et sermo Domini post illud miraculum; ad quod proculdubio alludit postea Dominus v.20, cum ait *quid me quaeritis interficere, unum opus feci et omnes miramini etc.*

5. ***Erat autem in proximo scenopegia.*** Sex illos menses inter Pascha et Scenopegiā silentio involvit Joannes, in quibus contigerunt ea quae ex caeteris Evangelistis ordinat Jansenius a capite 60 usque ad 73<sup>260</sup>. Circa nomen vero Scenopegiae quod sonat tabernaculi vel tabernaculorum fixionem, nota lapsum esse Euthymium<sup>261</sup>, putavit enim hoc festum *celebrari in memoriam diei quo primum Moses divinum fixit tentorium*, Ex 40[26]. Et constat ex Levit 23, fine, longe aliam fuisse tabernaculorum solemnitatem, de qua in praesenti. Quod si Euthymius vel aliquis alias credat hic non agi de festo tabernaculorum sed de alio festo forsan celebrato in memoriam erecti tabernaculi Domini, facile est hoc refutare, quia si eiusmodi festum a Iudeis celebraretur incideret in primam diem Martii qua die erectum est tabernaculum, Ex 40, atque adeo esset ante Pascha, et ex contextu patet sermonem esse de tempore post Pascha.

<sup>254</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 48*.PG 59,269.

<sup>255</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 28*. PL 35,1622.

<sup>256</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn*, 7,1. PG 123,1319.

<sup>257</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil. 48 (47) in Jn*. PG 59,269.

<sup>258</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev. Tract.28*. PL 35,1622.

<sup>259</sup> Id., *Ibid.*

<sup>260</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, pp.465-544.

<sup>261</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn 7,2*. PG 129,1262.

6. ***Dies festus iudeorum.*** (Ponitur singulare pro plurali) *Dies* hic comprehendit octo dies ut patet v.14 et 37, et Levit 23, 39. Y en griego no tiene dificultad porque dice ἑορτή, id est festum. Ností nomen diei alioquin late summi. Vide Num 7,84, Gn 2,2.

7. ***Dixerunt autem ad eum fratres eius.*** De fratribus Domini diximus late supra, c.2, lectione 2. Et in presenti hoc nomine intelligunt Chrysostomus<sup>262</sup> et Cyrilus<sup>263</sup> quosdam ex Apostolis, iuxta supra dicta; sed ut bene hic repetit Augustinus<sup>264</sup>, hoc nomine comprehendit lingua hebraea quosvis consanguineos, et locus iste quem prae manibus habemus non potest de Apostolis explicari sed de aliis consanguineis, quia Apostoli iam credebant in Christum, Jn 6[70]: *et nos credidimus et cognovimus quia Tu es Christus Filius Dei*, de his autem dicitur *neque enim fratres eius credebant in eum*, et confirmatur ex Act 1[14], ubi post nominatos Apostolos dicitur *hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria Matre Jesu et fratribus eius ergo alii erant praeter Apostolos qui fratres Domini dicerentur. Praeterea Mt 12[46] dicitur ecce Mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te*, et tamen Apostoli erant intus quia *extendens Christus manum in discipulos dixit ecce mater mea et fratres mei* etc. (Et Mc ait c.3,21 *et cum audissent sui (αὐτοῦ) exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem versus est.*) (De aquí parece que se colige que Santiago frater Domini no fue Apóstol, pues los Apóstoles creían y los hermanos, οἱ ἀδελφοί *non credebant*. Nota articulum. Sed vide supra dicta c.2, lect.2.)

8. ***Transi hinc et vade in Judaeam.*** Suspicantur Chrysostomus<sup>265</sup> et Theophylactus<sup>266</sup> consilium hoc ex invidia profectum esse, et Euthymius<sup>267</sup> credit istos Domini fratres optasse ut Christus a judaeis occideretur. Alii contra sentiunt eos ex consanguinei sui gloria commodum sibi et honorem sperasse et propterea voluisse ut abiret in Judaeam ubi erant principes sacerdotum et nobilissimi atque doctissimi iudeorum, et ad quam propter Templum confluerebat magna iudeorum atque ethnicorum multitudo ex omnibus provinciis. Sed neque verisimile est eos optasse consanguinei necem [f.74v] neque certo sperasse sibi commodum et honorem ex eius gloria in quem nondum credebant, ut ait Evangelista, atque adeo nondum sibi persuaserant

<sup>262</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 48 (47) in Jn.* PG 59,271.

<sup>263</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 7,3. PG 73,635.

<sup>264</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev. Tract.28.* PL 35,1625.

<sup>265</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 48 (47) in Jn.* PG 59,270.

<sup>266</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn.* c.7,v.3. PG 123,1322.

<sup>267</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn.* 7,3. PG 129, 1262.

eius miracula esse vera sed potius adhuc timebant rem male cessuram, sed neque certi erant de falsitate, tum quia bonam aliqui opinionem de Christo conceperant propter eius vitae modestiam, tum etiam quia ab Evangelista quamvis notentur increduli non accusantur uti male in Christum animati; quare simplicius est ut eorum verba intelligamus profecta fuisse a dubitatione eorum qui optabant ut tota res feliciter cederet, et qui amice potius agebant quam malevole. Cupientes ergo certiores reddi de Domini potestate agunt cum illo ut vadat in Judaeam. Et discipulorum quidem quos Dominus habebat in Judaea confirmationem praetexerunt; sed re vera, (ut appareat) ea ratione explorare volunt an Dominus audeat in publicum prodire et confidenter exponere atque ita aiunt si haec facis, id est, si re vera habes potestatem eiusmodi miracula faciendi quali hactenus in Galilaea fecisse videris, cur hic lates? abi in Judaeam. In his certe rationibus non obscure produnt se dubios esse de Domini potestate an sit facta et apparens, quamvis id non per convitum sed comiter ut eis videbatur significant. Et fortasse etiam sperabant rem totam per examen sacerdotum et phariseorum et principum cuiusmodi esset facile apparturam.

**9. Nemo quippe in occulto quid facit et quaerit ipse in palam esse.** In palam, graece ἐν παρρησίᾳ, contrapuesto al in occulto κρυπτῇ, y así no hay que buscarle misterio ut eo adverbio significetur libertas a persequotionibus (ut indocte ait Caietanus) aut potestas libere loquendi aut liberum de se ipso sermonem omnibus relinquere, ut graeci notant, sed aptius est ut in *palam* in praesenti sit idem quod in publica omnium notitia. Prima facie videbatur aptius si dicerent e converso nemo quippe palam facit opera admiranda et vult ipse in occulto esse, persuadere enim volunt Domino ut non velit amplius in occulto esse, id est, in Galilaea versari, quandoquidem palam exercet admirabilem potestatem. Respondeo eodem spectare quod aiunt, nempe neminem in obscuris locis operari solere ea per quae suam potestatem manifestari studeat, nisi quod in hac ratione proculdubio supponunt Dominum quaerere modum et rationem qua nomen ipsius mundo innotescat. Et quidem hoc malitiose dictum esse credunt Chrysostomus<sup>268</sup>, Theophylactus<sup>269</sup> et Euthymius<sup>270</sup> ut notarent Dominum esse partim timidum et partim ambitiosum. Sed hoc est fratres Domini non solum dubios sed etiam inimicos interpraetari et qui scornata in eum iacerent, quem irrisorem et falsum prophetam esse omnino sibi persuaderent. Simplicius omnino est ut id solum supponant quod Christus negare non poterat, nimirum ipsum quaerere palam esse, non dico gloriam suam quaerere sed saltem velle et

<sup>268</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 48 (47)*. PG 59,270.

<sup>269</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn*, 7,6.PG 123,1326.

<sup>270</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,4. PG 129,1262.

agere ut sua potestas mundo innotesceret, sive in eo vere quaereret gloriam Dei et hominum salutem, sive falsam opinionem et gloriam vanam. (De las razones del tentador, cómo son necias.) Atque ita non omnino inepte dicunt: Tu, per doctrinam et miracula vis mundo collucere (quod negare non potes) cur ergo manes in his obscuris Galileae oppidis et non potius Hierosolymam te confers? Huiusmodi sermo optime convenit in eos qui dubio erant animo; nam si certo nossent eum esse prophetam, consequenter nosse debebant non ei opus esse illorum consilio, et si eum crederent irrisorem, non optarent ut rei malus exitus publicam ipsis infamiam adduceret; sed cum essent eorum animi dubii saltem hoc sermone indagare volunt quem animum prae se ferat Christus, et cur si habet tantam potestatem nihilominus cavit sibi ab inimicis et videtur non audere in publicum prodire. [f.75] Et eiusmodi quidem videtur fuisse eorum consilium, et ratio quam adducunt non omnino inepta secundum *prudentiam carnis*; verum haec eadem *stultitia est apud Deum* quia quod aiunt perinde est ac si dicerent ne ita facias quia nullus alias ita faceret, quasi vero essent viae Domini sicut viae nostrae. Vide Is 55,18 *sicut exaltantur caeli a terra* etc. Merito posset Dominus respondere se propterea ita facere quia nemo alias ita faceret, sed maluit eis satisfacere dicendo:

10. ***Tempus meum nondum advenit.*** Dominus, ut patebit postea, ascendit in Templum tribus diebus festi iam transactis, videbat enim se avidissime spectari a iudeis ad necem, unde et quaerebant illum dicentes *ubi est ille?* Ideo ergo non venit primo die sed quarto cum iam deferbuerat eorum ira et tuto venire posset. Simile est quod ait c.11[9] *qui ambulat in die non offendit quia lucem huius mundi videt*, id est quando mihi immineat periculum et quando non immineat. Nunc ergo ait nondum venit tempus aptum profectio meae quia tempus passionis nondum advenit et modo occiderent me si irem, vos autem liberum semper et paratum habetis tempus ad eundum, nullum enim vos periculum manet ut me, nam mundani homines et mali non oderunt vos, quia nullo modo eis resistitis neque contradicitis, me autem oderunt quoniam ego scelera repraeahendo; quare, vos abite et sinite me, ego enim non eo modo sed ibo cum oportunum fuerit tempus.

11. Ubi nos habemus *non ascendo* in graeco est *ego nondum ascendo* et ita legi in ms latinis testatur Erasmus<sup>271</sup>, Montanus et Lovanienses. Unde Chrysostomus<sup>272</sup> ait cur ascendit cum se ascensurus negasset; non dixit simpliciter non ascendam sed non ascendam adhuc, id est vobiscum, quia tempus meum nondum impletum est.

<sup>271</sup> DESIDERIUS ERASMUS, *Versio Novi Test. c.7,8, nota.* Lugduni, t.6, 1705, col.369.

<sup>272</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 49 (48) in Jn.* PG 59,273.



me non pro libito ex me ipso concionari sed legatione pro Deo fungi et ab eo dictata pronunciare, atque adeo meam doctrinam esse maximi momenti veritates. Quod si me fortasse requiratis legitimam ostensionem eius quod dico, ego vos ipsos iudices constituo dummodo serio velitis divinae vos voluntati subiicere et omnino decernere caeteris omnibus postpositis id plane sequi quod vestra conscientia ab omni perturbatione libera vobis dictet; sublatis enim impedimentis ipsa se vobis lux manifestabit et cognoscetis an ego ex me ipso loquar an ex Dei praescripto. Certe si ego ex meo ipso loquerer meam gloriam vanissime quaererem, dum autem nihil aliud quaero nisi gloriam eius qui misit me, certum sumus me ab omni falsitate et ab alio quocumque crimine immunem esse. Hic omnino videtur esse contextus in cuius ultimis verbis dum se veracem et innocentem praedicat, tacite eos sceleris arguit qui necem illi meditabantur. (Quomodo *sua* et *non sua*, in scientia divina et in beata, infusa et acquisita, Pererius in codice f.496 etc.)

### 17. *Nonne Moises dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem?*

Facilis est ut appareat sensus, sed contextus aliquantulum difficilis, atque adeo varie explicatur: —1º sic: in illis praecedentibus verbis *et iniustitia in illo non est* non solum significaverat se non esse iniustum sed etiam iudeos esse iniustos, quasi diceret: la injusticia no está en mí sino en vosotros, atque adeo apte sequitur probatio, nempe quia nemo vestrum est qui non transgrediatur legem; et prosequitur *quid me quaeritis interficere*, quibus verbis videtur probare eos transgredi legem quandoquidem innocentii parabant insidias. Ita fere Chrysostomus<sup>274</sup> et Cyrillus<sup>275</sup>, sed duriuscule nisi fallor. (No tiene artículo en griego sino ἀδίκια, y así no es el sonsonete, quasi diceret la injusticia no está en él, sino no hay en él injusticia.) —2º, ergo, ordinatur contextus sic: dixerat eum qui velit facere voluntatem Dei facile cognitus de doctrina sua an esset ex Deo; nunc autem ut ostendat illos non esse aptos ad id agnoscendum, ex propria scelerum conscientia illos arguit quasi diceret quomodo vos iudicare potestis, nonne de vestra iniuitate vobis constat, cur ergo me interficere quaeritis. —Sed neque ista constructio mihi satisfacit; quare dico aptius esse ut simpliciter intelligamus Christum transire a sua defensione ad illorum accusationem, nam aptissime cohaeret si quis dicat se quidem esse innocentem, accusatorem vero esse multis criminibus obnoxium.

Sed cur ait *nonne Moises dedit vobis legem?* Videbatur enim sufficere si solum diceret in vobis autem estne aliquis qui faciat legem? et cum *vobis* ait videtur se a legis obligatione eximere [f.76] —Respondeo 1º, non male habere

<sup>274</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 49 (48) in Jn.* PG 59,276.

<sup>275</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 7,19. PG 73,666.

si quis dicat cum Christus asseruit se esse missum a Deo, et gloriam eius omnino quaerere, et nihil neque dicere neque facere nisi ex eius praescripto, ea oratione facile significasse se esse Dominum sabbati atque adeo etiamsi videretur legem violare, non tamen id transgressioni sed peculiari divinae voluntatis ordinationi tribuendum esse et legem denique non agere cum Christo sed cum eius adversariis, nam proculdubio dum se a Deo missum praedicabat Christus non obscure significabat se esse verum Messiam iuxta illud *donec veniat qui mittendus est* Gn [49,10], aut saltem intelligere debebant iudeai illum esse prophetam cuius omnis dicta et facta venerari et quamvis aliquando videretur agere contra legem, peculiari dispensatione tribuere debuissent. —Respondeo 2º, eo etiam sublato misterio aptissimam esse cohaerentiam et formam loquutionis, nam qui alium accusat debet esse a simili crimen alienum, alioqui enim se ipsum condemnat ut ait Paulus ad Rm 2. In illis ergo verbis *iniustitia in illo non est* tacite significaverat Christus se falso accusari de sabbati violatione (vide supra dicta n.4). Nunc ergo ad accusatores convertit sermonem et ait *nonne Moises dedit vobis legem*, quasi diceret pues la ley no habla también con vosotros y la quebrantais a cada paso, cur ergo me quaeritis interficere eo quod in uno opere trangressor vobis videar.

18. **Demonium habes.** Haec phrasis videtur non accipienda ut sonat quasi assere voluerint vere Christum demonium habere, sed potius est modus loquendi similis ei quo volentes significare aliquem valde irrationaliter aliquid facere vel dicere aiunt ii qui minus modeste loquuntur qué diablo se torna. Qua ratione innuere volunt adeo perverse illum agere ut videatur humanae malitiae modum excedere et a malo spiritu agi. (Nosti de filiis Dei et filiis diaboli, etc.)

19. **Unum opus feci.** Vide supra dicta n.4. Quod vero ait *et omnes miramini* accipi debet de admiratione maximi criminis, quasi diceret omnes valde perturbamini et scandalizamini. Ita Chrysostomus<sup>276</sup>, Theophylactus<sup>277</sup> et Euthymius<sup>278</sup>.

20. **Propterea Moises dedit vobis circumcisionem.** Difficultatem afferit illud *propterea* (διὰ τοῦτο). Theophylactus<sup>279</sup> coniungit eam dictionem cum presenti propositione, legit enim: *unum opus feci et omnes miramini propterea,*

<sup>276</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 49 (48) in Jn.* PG 59,277.

<sup>277</sup> THEPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn*, 8,21. PG 123,1331.

<sup>278</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,21. PG 129,1270.

<sup>279</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn*, c.7,v.22.PG 123,1331.

seu propter hoc. Et postea, *Moises dedit vobis circumcisionem*. Sed haec videtur esse difficultatis fuga potius quam explicatio. Cajetanus<sup>280</sup> nostram lectionem connectit in hunc modum: *unum opus feci et omnes miramini; propter hanc ergo admirationem tollendam dedit Moises circumcisionem* et iuxta eam in sabbato circumciditis, non quod ipse id intenderit, sed quod ex eius pracepto constet me non peccare, nam id quod consequitur solet Sacra Scriptura explicare ac si esset finis, saepe enim Evangelistae *hoc factum est ut impleretur quod dictum erat*. Euthymius<sup>281</sup> credit hanc dictionem *propterea* ex more hebraeorum abundare ornatus causa, et afferunt loca Jer 30,16, et c.32,28; Oseeae 2,14; Is 52,6. Sed his locis attente perspectis meo iudicio non abundat illa dictio *propterea*. Jansenius<sup>282</sup>, c.75 existimat aliquando dictionem *propterea*, more [f.76v] hebraeorum solum poni ut excitet ad audiendum, quasi diceret: advertite, Moises dedit vobis legem. Verum id non satis probat. —Quare, si licet nostrum adhibere iudicium consulendus est similis locus Mt 13,52 *ideo omnis scriba doctus etc, graece eadem est dictio διὰ τὸ ἐτοῦτο et ex eo quod regnum coelorum est simile thesauro abscondito*, et homini negotiatori et sagenae missae in mare, non infertur scribam doctum proferre debere nova et vetera sed eo modo loquendi reddit rationem Dominus cur interrogaverit discipulos suos an bene percepissent ea quae dixerat, nimirum ut discerent quomodo sit concionandum nova et vetera proferendo, quasi diceret dígolo porque así se ha de predicar. Similiter ergo in praesenti, cum significasset eos irrationaliter admirari quod eiusmodi opus Dominus fecisset in sabbato, subdit *propterea Moises dedit vobis circumcisionem et in sabbato circumciditis hominem*, quasi diceret dígolo porque la circuncisión que manda la ley se hace en sábado y no se tiene por obra servil, vel aliter, propterea Moises etc id est por eso bien que la ley manda que circuncideis al octavo día, y así circuncidais a los niños en sábado, unde infertur non omne opus esse prohibitum.

21. Utcumque sit, his verbis probare voluit Dominus se legem non violasse, quia si licet in sabbato circumcidare et statim medicamentum vulneri apponere ut pars corporis sanaretur, cur non licet solo verbo integrum hominem sanare, quod proculdubio est minus servile quandoquidem non adhibetur ferrum neque manus. Praeterea ex Augustino<sup>283</sup> tractatu 30, et Beda<sup>284</sup>, si licebat circumcidere eo quod circumcisio esset *aliquid signaculum salutis*, et non debent homines sabbato vacare salute, ergo non est contra legem integrum homini tribuere

<sup>280</sup> THOMA A VIO CAJETANUS, *Comment in Jn Ev.*, 7,22. Lugduni 1639, p.341.

<sup>281</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,22. PG 129,1270.

<sup>282</sup> JANSENS, *In Concordiam*, Lugduni 1580, c.75, p.554, E.

<sup>283</sup> AUGUSTINUS, *In Joannis Evangelium*, tract.30. PL 35,1634.

<sup>284</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.7. PL 92,728.

salutem in sabbato. Sed obiicerent fortasse iudaei circumcisionem in sabbato fieri divina auctoritate atque ita non esse parem rationem; adhuc tamen viget argumentum Christi quia lex non praecipiebat expresse in sabbato circumcidere sed circumcidere octavo die, et si esset opus servile transferenda esset in diem sequentem, unde argumentum Christi est huiusmodi: cum recte iudicetis hoc opus non esse servile nec prohibitum, cur parlitici sanationem prohibitam putatis? —Respondeo secundo, et melius fortasse, que el argumento de Cristo supone una cosa llana y es que lo que es lícito para guardar la ley también lo será para socorrer a un necesitado, pues no es de menor autoridad la ley de caridad; luego tanto respeto se debe a ella como a la ley de Moisés.

22. Dubitat aliquis cur interposita sint illa verba (*non quia ex Moise est sed ex Patribus*). Respondeo additam fuisse parenthesim ne putarent ignoranter dictum esse a Domino praeceptum circumcisionis esse ex Moise cum certum esset id praeceptum esse multo antiquius et a Patribus acceptum. Sed dices, cur ergo dixit *Moises dedit vobis circumcisionem* et non potius Deus dedit Abrahae circumcisionem? Respondeo Dominum, ut eos convinceret, suum sermonem acommodasse illorum loquutioni qui ut appareat solebant strictissime interpraetari praeceptum sabbatinum, et ea solum opera explicare quae lex Moysis precipiebat et inter haec erat circumcisionio quamvis ea esset a Patribus accepta.

23. *Mihi indignamini.* Grammatici desiderabunt particulam aliquam nempe *cur aut quomodo* mihi indignamini? Sed bene intelligitur sensus.

Quod vero Christus ait se totum hominem sanasse, Chrysostomus<sup>285</sup>, Cyrillus<sup>286</sup> et Theophylactus<sup>287</sup> ad corpus referunt quia paralisis totum hominem dissolvit. Augustinus<sup>288</sup>, Beda<sup>289</sup>, S.Thomas<sup>290</sup>, Euthymius<sup>291</sup>, Rupertus<sup>292</sup> et alii, ad corpus et ad animam referunt quoniam curatus est ut sanus esset in corpore et credidit ut sanus esset in anima sicut et caeteri quos Christus sanavit. Quod si dicas non esse ad rem de animae salute intelligere quia illam etiam suo modo tribuebat circumcisionis, Respondeo adhuc manere discriminem quia non tribuebat corporis et animae salutem.

[f.77]

<sup>285</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 49 (48) in Jn.* PG 59,277.

<sup>286</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 7,23. PG 73,671.

<sup>287</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarr in Ev Jn*, c.7,v.23. PG 123,1331.

<sup>288</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev. Tract.30.* PL 35,1635.

<sup>289</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.7. PL 92,729.

<sup>290</sup> THOMAS AQ., *In Jn Evangelistam expositio*, c.7. Ed Vivès, 20,67.

<sup>291</sup> EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,23. PG 129,1270.

<sup>292</sup> RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment. In Jn*, 1.7. PL 169,514.

24. ***Nolite iudicare secundum faciem.*** Chrysostomus<sup>293</sup>, Cyrillus<sup>294</sup> et alii intelligunt Christum eis suadere ut non ad personas sed ad rem animum advertant, quasi diceret ne consideretis Moisem quem suscipitis et me quem contemnitis, sed res ipsas iudicate sine respectu personarum. Alii vero credunt Christum his verbis praecipere ut non iudicent id quod primo aspectu apparet sed rem penitus intueantur ut rectum iudicium ferant, graece enim est κατόψιν, id est secundum superficialem rei inspectionem quam optime interpres vocavit faciem. Vide Is 11 [3] *non secundum visionem oculorum nec secundum auditum aurium arguet sed iudicabit in iustitia* etc Septuaginta: *non secundum opinionem*, quasi diceret sed secundum scientiam, non secundum id quod prima facie apparet oculis sed secundum intimam rei cognitionem et re ipsa penitus inspecta.

### Lectio 2<sup>a</sup>

1. ***Christus cun venerit nemo scit unde sit.*** Videtur falsa quaedam opinio apud vulgus iudeorum recepta fuisse, nempe parentes et patriam Messiae in eius adventu non fuisse cognoscendas, et eam fortasse intelligentiam tribuebant illis Micheae verbis c.5[2], *egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis*; vel illis Isaiae 53[8] *generationem eius quis enarrabit*; Ps 109[4] *tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec*; vide ad Hebraeos *sine patre et sine genealogia*; Is 45 [15] *vere tu es Deus absconditus*. Neque obstat quod omnes noverant eum fore bethlemitam et filium Davidis, quia simul poterant existere eas conditiones non fore in adventu Messiae in eo cognoscendas, sed repente apparitum ita ut nemo nosset eius patriam neque parentes, atque ita probare volunt Dominum non esse Messiam quia norunt unde sit. Sed dices quomodo ergo c.9,24 aiunt *hunc autem nescimus unde sit*. Respondeo ibi significare voluerunt se nescire an eius miracula et conciones essent ex Deo vel ex diabolo, ut patet ex contextu.

2. ***Et me scitis et unde sim scitis.*** Quidam existimant Dominum his verbis significare iudeos affectare ignorantiam eius rei quam agnoscere cogebantur, nimirum quod ipse esset Messias, nam testimonium Baptistae et testimonia Scripturae et miraculorum erant manifesta, quasi diceret por más que disimuleis, al fin, delante de Dios no podeis alegar ignorancia. Et probant hunc esse sensum, quia alioqui cur clamat Christus si solum significat et genus et patriam suam cognosci ab eis praesertim cum id ipsum illi obiificant. Nihilominus simplicius est ut Christus clamet verum esse quod illi aiebant, sed adhuc id ab eis ignorare

<sup>293</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 50 (49) in Jn.* PG 59,278.

<sup>294</sup> CYRILLUS ALEX., *In Jn Ev.*, 7,24. PG 73,674.

quod maioris esset momenti, nimurum ipsum non ex se ipso venire sed missum a Deo, atque Deum in hac missione se veracem exhibere confirmando promissiones patrum, et suum ad indignos mittendo Filium, et illos quidem non mirum esse quod non recipient, quia non noverunt Patrem, id est porque no tienen ley con Él ni le reconocen como deben por Señor, se autem nihilominus libenter suum exercere officium et in eo excercendo Deum agnoscere, quasi diceret pero con todo eso yo le reconozco y hago lo que debo predicando y enseñando a los que Él me manda quia ab ipso sum et ipse me misit, id est, porque soy suyo y enviado dél, atque ita libenter ei me subiicio.

Ad illam obiectionem de clamore Christi, Respondeo, aptissime eum clamare ut omnes animadverterent ea quae submissa voce ab eis dicebantur, nihilominus ipsi esse comperta nam ex contextu patet iudeos quando sic loquebantur existimasse non id audire Dominum. Respondeo 2º, quamvis per se non esset digna clamore illa sententia *et Me scitis et unde sim scitis*, considerata tamen ut exordium sequentis sententiae in qua Christus ait se esse missum a Deo, decentissime fuit clamore prolata. (Explica quomodo c.8,19 dicat *neque Me scitis neque Patrem meum*.)

[f.77v]

*3. Adhuc modicum tempus vobiscum sum et vado ad eum qui misit Me; quaeretis Me et non invenietis et ubi sum Ego vos non potestis venire.* Hanc sententiam quam modo Dominus ait ad lictores atque ministros, eandem postea dixit scribis et pharisaeis c.8,21, et eandem post ultimam caenam dixit ad Apostolos c.13,33 *filioli adhuc modicum tempus vobiscum sum, quaeretis Me et sicut dixi iudeis quo Ego vado vos non potestis venire, et vobis dico modo*, id est ipsum vobis dico. Itaque ter Dominus invenitur hoc dixisse, et numquam videtur ab audientibus satis intellecta fuisse sententia, nam in praesenti inquirunt iudei *quis est hic sermo, numquid in dispersionem gentium iturus est*; et c.8 dicunt *numquid interficiet se*; et c.13 respondit Petrus *Domine quo vadis*. Itaque non caret difficultate locus, et ea quaerenda est explicatio quae tribus locis conveniat. Unde non videtur ad rem quod quidam volunt significatum fuisse a Domino, nempe iudeos semper quae situros esse Messiam et numquam inventuros, quasi vero id potuerit de Apostolis vere significari, ad quos Dominus se illis idem dicere quod dixerit iudeis. (Forsam sensus est, et vobis dico quomodo non potestis venire, nam statim ait ad Petrum *non potes Me modo sequi, sequeris autem postea*).

*4. Sed dicet fortasse aliquis, non videri eandem prorsus sententiam quia iudeis ait *ubi ego sum vos non potestis venire*, et Apostolis ait *quo Ego vado vos non potestis venire*. —Dico 1º, similiter dici iudeis c.8 *quo Ego vado**

*etc*, imo non desunt qui suspicentur similiter legendum esse in praesenti, quia quamvis graece non legatur ὅπου ὑπάγω, sicut in aliis locis, sed ὅπου ἐιμὶ, mutato accentu εἴμι significat *eo*. —**Dico** 2º, omnino retinendam esse vulgatam lectionem quia non licet propria auctoritate mutare accentum, sed saltem discrimen hoc non mutat sensum ullo modo, quia idem est *ego vado* et *non potestis venire quo ego vado* aut *non potestis venire ad locum ubi deinceps ero*. Et constat praesens poni pro futuro.

5. Accedendo ergo ad explicationem contextus. Difficultas est in illis verbis *quaeretis Me et non invenietis*, nam si praedicit quaesitionem in bonum quomodo ait c.8 *quaeretis Me et in peccato vestro moriemini*; et si praedicit quaesitionem in malum, quomodo Apostolis ait idem se illis dicere quod iudeis dixerat? Propter haec videtur Jansenius<sup>295</sup> impugnasse explicationem Ruperti et Cajetani<sup>296</sup> (la declaración de Jansenio parece de Teofilacto y Eutimio) qui explicant de quaesitione in malum, sed in eundem laqueum videtur ille incidere dum exponit de quaesitione in bonum; quod si quis interpraetetur eum non de quaesitione in bonum, id est in salutem animarum, sed in solamen afflictionum, atque dicat Dominum his verbis praedicere varias persequutiones in quas post eius mortem incidendum erat et Apostolis et populo iudaico, in quibus desideraturi erant unum diem Filii Hominis iuxta id quod habetur Lc 17,22 et optaturi praesentiam [f.78] Christi corporalem ut miracula ederet et eos liberaret. Ad haec dico primo, non esse verisimile eos qui non credebant in Christum, sed in sua excaecatione moriebantur, ab illo voluisse liberari. Unde illa verba Lc 17[22], non dicuntur ad incredulos sed ad discipulos. Sed neque ad illos dicuntur ad significandam magnitudinem afflictionum quae postea erant passuri sed potius, (quantum ex praecedenti contextu colligere licet,) eis verbis significare voluit Dominus Apostolis immensitatem boni quod in sua praesentia habebant, et quod illud non satis agnoscebant, iuxta vulgare proverbium “que no se conoce el bien hasta que se ha perdido”, atque ita, cum postea Spiritus Sanctus eis oculos aperiet necessario dicturi erant apud se: o me infelicem a quo Christus abiit, o utinam vel uno die mihi modo liceret eius praesentia frui. Nam quod attinet ad labores et persequutiones non adeo optabant Apostoli ab eis liberari ut ob hanc rationem optaturi essent eiusmodi miracula quae Christus gessit, praesertim cum ipsi potestatem ad ea miracula haereditario iure accepissent. Unde eiusmodi desiderium Christi quale explicat Jansenius, neque convenit in iudeos rebelles neque in discipulos fideles.

<sup>295</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni 1580, p.557.

<sup>296</sup> THOMAS A VIO CAIETANUS, *Commentarii in Jn Ev*, 8,20. Lugduni 1639,t.4, p.347.

6. Quod vero attinet ad iudeos atque ad presentem locum, sunt qui *quaerere et non invenire* referant ad seram et inefficacem poenitentiam: contingit enim iis qui oblatam gratiam respuunt postea non consequi misericordiam quamvis orare et dolere videantur. Ut dicitur de Antiocho, 2Macab 9,13, et de Esau, ad Hebr 12,7, et cum hac explicatione videntur cohaerere illa verba *quaeretis Me et in peccato vestro moriemini*, quasi diceret sero quaeretis a Me remedium et coacte potius quam spontanee, atque ita *Ego in interitu vestro ridebo* [Prov 1,26] et patiar vos in peccato mori. Sed haec explicatio argumento supra posito facile reiicitur praeter quam quod non bene construit ea verba *quo ego vado vos non potestis venire*, et durissime explicat quomodo iudei quaerant Christum, nam protervi qui non credunt in eum neque cito neque sero neque efficaciter neque inefficaciter quaerunt ab eo remedium et potius dicuntur mori in suo peccato qui moriuntur in illa caeca protervia et contumacia et odio Christi Domini nostri.

7. Ad explicandam igitur meam sententiam —**Dico 1º**, non esse omnino improbabile Christum eadem verba dixisse iudeis et Apostolis sed non in eodem sensu, atque ita quod ait c.13 se dicere suis discipulis quod dixerat iudeis accipi potest in hoc sensu: eadem verba vobis dico sive eandem propositionem, sed diversa intentione, quia de illis tanquam de inimicis dicebam post meum discessum quaesituros esse Me, id est adhuc persecuturos, de vobis autem tanquam de amicis dico quaesituros etiam esse Me non tamen in malum, sed tanquam dolentes privari vestri parentis presentia. —**Dico 2º**, multo aptius esse ut iste locus et alter qui habetur c.13 eodem prorsus sensu intelligantur non solum quia sunt eadem verba sed etiam quia Christus ait *sicut dixi iudeis et vobis dico modo*. Nota illud *sicut*. —**Dico 3º**, non opus esse ut in his duobus locis intelligamus Christum affirmare quod iudei et Apostoli quaesituri essent illum post eius mortem, nam phrasis est valde familiaris, si dicamus v.gr. De surdo “direisle traza y entenderá taza” et tamen non affirmo quod sis dicturus, sed solum eum esse adeo surdum ut quantumvis clamis ille prorsus non intelligat. Similiter ergo qui se post modicum tempus omnino abiturus dicebat, id est, non solum a civitate vel a Iudea sed omnino ab hoc mundo quantum ad visibilem praesentiam, aptissime dicit *queretis Me et non invenietis*, quantumvis Me quaeratis iam deinceps *non invenietis Me quia quo ego vado vos non potestis venire*, [f.78v] nempe corporaliter et quando volueritis. Ecce aptissimam loquendi rationem in qua mirifice cohaeret contextu meo iudicio, et uterque locus eodem prorsus modo simpliciter explicatur.

8. Sed obiicies, Dominum, Jn 8[21], omnino affirmare quod iudei quaesituri erant illum, ait enim *ego vado et quaeretis Me et in peccato*

*vestro moriemini.* Dico primo, locum illum Jn 13 non requirere ut semper Dominus in illo sensu dixerit iudeis *quaeretis Me et non invenietis*, sed ut aliquando loquutus fuerit in eodem sensu, ut nos in praesenti loco explicamus, postquam vero semel iuxta illam phrasim dixit *quaeretis Me et non invenietis* agens cum ministris qui non erant adeo obstinati, ut appareat ex effectu, quando postea agebat cum pertinacibus phariseis de sua profectione sonum verborum mutavit et interposita comminatione manifeste ostendit se de illorum pertinacia loqui et de odio implacabili quod numquam erant deposituri, sed etiam post eius profactionem quaesituri erant Christum, id est eum persequuturi et christianum nomen odio habituri, et tunc eorum inanem conatum irridens Dominus ait *sed quo ego vado vos non potestis venire*, quasi diceret non mihi nocebit vestra persequutio quia non perveniet deinceps ad Me flagellum vestrum, etc. (Vel con el pecado os habéis de morir, no con el hecho, ut nosti.)

9. Vide quae hic perpendit Jansenius<sup>297</sup> in illo verbo *vado*, quod voluntariam profactionem et mortis electionem potius designat quam moriendi necessitatem, atque ita significat Christus se mori quia vult, caeteros autem non quando volunt. Quod si malis ut *vado* referatur ad Ascensionem in coelum etiam secundum corpus, optime habet *vos non potestis venire*, quia non est in potestate hominum volare per aera et scandere in coelum.

Sed quorsum haec veba Dominus dixit ad lictores atque ministros qui mittebantur ut eum apprehenderent. Respondeo: quasi diceret: si lo que pretenden los que os envían es Me de medio tollere, yo os certifico que poco he de estar entre vosotros y que me tengo de ir, no a Samaría o Galilea sino totalmente del mundo, scilicet quantum ad visibilem presentiam etc.

10. ***Numquid in dispersionem gentium iturus est?*** Graece εἰς τὴν Διασπορὰν τὸν Ἑλλήνων id est in dispersionem graecorum sive in dispersos graecos. Sed hic manifeste nomen graecorum ponitur pro universis gentibus quae sunt per orbem dispersae, et in ea significatione a plerisque explicatur ad Romanos 1 in illis verbis *iudeo primum et graeco*, et 1Cor 1,23 *gentibus autem stultitia*. (Antes creo que aquí y en 1Cor 1,23, nomen *gentium* ponitur pro *graecis* qui erant caput ethnicorum quia in graeco est ελληνος y opónese a los bárbaros. En español el nombre de animal que era común se restringe al irracional.) Communior tamen usus fert ut iudei omnes alias populos appellant τὰ ἔθνη, id est gentes seu nationes, ut videre est ad Gal 2 et Act 10, sicut graeci et romani omnes alias homines vocabant *barbaros*. Nisi quod iudei commune nomen ad extraneos restringebant distinctionis gratia, sicut

<sup>297</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.77. Lugduni 1580, p.568.

nomen Israel quando opponitur contra Judam. Et quia extranei erant fere omnes idolorum cultores, ideo ethnicorum nomen male audit, unde Paulus ad Gal 2[15] *nos natura iudei et non ex gentibus peccatores*.

11. ***In novissimo autem die magno festivitatis.*** Id est in die ultimo illius festi Tabernaculorum qui erat celeberrimus aequae ac primus, ut modo apud nos octava maiorum festivitatum, nam et octavus erat ille dies, ut patet Lev 23 [36], et non septimus ut putavit Theophylactus<sup>298</sup>. Singulis ergo reversuris unoquoque in suam civitatem praebet eis Dominus viaticum ad salutem, ut ait Chrysostomus<sup>299</sup>, Theophylactus et Euthymius<sup>300</sup>, et clamor Christi ostendit quanti momenti sit quod ipse tam ardenter optat.

[f.79]

12. ***Si quis sitit veniat ad Me et bibat.*** Chrysostomus<sup>301</sup> et Euthymius<sup>302</sup> exponunt hoc de siti doctrinae spiritualis; magis tamen placet communis explicatio de qua late supra, c.4, n.9 et infra. Sed dices cur ergo non ait cum Isaia c.55,1 *omnes sitientes venite ad aquas sed si quis sitit*, cum iste modus loquendi videatur ostendere paucos esse qui sitiant. Respondeo non id ostendit sed saltem paucos esse qui satis intelligent se non aliter posse sedare sitim. Et eadem ferme ratione dicitur Prov 9[4] *si quis est parvulus veniat ad me; et Ps 33[13] quis est homo qui vult vitam et diligit dies videre bonos*, etc.

13. ***Qui credit in Me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*** Ventris nomine interiora significantur, ut Ps 21[15] *factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*. Abac 3[16] *audivi et conturbatus est venter meus*. Sensus ergo est idem qui supra, c.4, *fiet in eo fons*, nempe in intima cordis parte, et quia fons rivulos effundit, ut significaret eam satietatem derivari ad caeteras animae potentias vel etiam ad alios homines, et non utcumque sed copiosissime et abundantissime ideo non rivulos dixit ex eo fonte fluere sed *flumina*. Vide Hieronymum<sup>303</sup> in id Is 12[3] *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, et Ezech 47<sup>304</sup> in principio, et prologo librorum Parlip, et in id Zach 14[8] *exibunt aquae vivae*, etc.

<sup>298</sup> THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev Jn*, 7,37. PG 123,1342.

<sup>299</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 51 (50) in Jn*. PG59,283.

<sup>300</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *Comment. in Jn*, 7,37. PG 1291275.

<sup>301</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 51 (50) in Jn*. PG 59,283.

<sup>302</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *ibidem*.

<sup>303</sup> HIERONYMUS, *In Isaiam proph.* c.12. PL 24,156.

<sup>304</sup> ID., *In Ezechielem proph.* c.47. PL 25,487.

14. His preiactis explicanda est difficultas quam afferunt illa verba quae Dominus interponit, nempe *sicut dicit Scriptura*. Nota ergo locum ter constitui: —**1º** et communiter sic: de ventre eius qui credit in Me flumina fluent sicut dicit Scriptura. —**2º** sic: qui ita credit in Me sicut Scriptura docet esse credendum, de ventre eius fluent flumina. —**3º** sic: *si quis sitit veniat ad Me et bibat credendo in Me*. Sicut Sacra Scriptura invitat sitiens ad bibendum; certe de eius ventre flumina fluent, etc.

—**Primam constructionem** sequuntur Hieronymus, Augustinus<sup>305</sup>, Ciprianus, S.Thomas<sup>306</sup>, Rupertus<sup>307</sup>, Beda<sup>308</sup>, et omnes antiqui ex latinis, et ex iunioribus Jansenius<sup>309</sup> et multi. Et in ea constructione quaerendum est ubi Sacra Scriptura promittit flumina in ventre eius qui creditur.

[f.79v]

15. Hieronymus, Praefatione in Pentateuco<sup>310</sup> quae est epistola 104, inter alia loca Veteris Testamenti quae citantur in Novo nec inveniuntur in translatione 70, sed in hebraeo et in sua aeditione, docet haec verba quae citat Dominus esse in Proverbiis, non tamen indicat locum.

S.Thomas<sup>311</sup> et Rupertus et Lyra existimarent esse id quod habetur Prov 5,15 *bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras et in plateis aquas tuas divide*. Sed Erasmus<sup>312</sup>, Titelmanus atque Jansenius<sup>313</sup> satis sibi videntur probasse Hieronymum nequaquam de hoc loco intellexisse, quoniam haec verba similiter habentur apud 70. Ergo qua ratione convincitur Hieronymus non intellexisse de illo loco qui notatur in margine in quibusdam Bibliis, nimirum Prov 18[4] *aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons Sapientiae*, eadem ratione convincetur Hieronymum similiter non intellexisse de illo loco Prov 5 [16], quoniam similiter habetur apud 70. Nihilominus omnino dicendum est S.Thoma atque Rupertum<sup>314</sup> optime designasse locum quia non est ullus aliis in libro Proverbiorum de quo posit Hieronymus intelligere; et obiectio quae contra adducitur procedit ex falso, 70 enim, Prov 5, dicunt *bibe aquas de vasis tuis*, quod non potest

<sup>305</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev*, tract.32 in Jn. PL 35,1642.

<sup>306</sup> THOMAS AQ., *In Ev. Jn expositio*, c.7. Ed. Vivès t.20, p.74.

<sup>307</sup> RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment. In Jn*, c.7. PL 169,521.

<sup>308</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.7. PL92,732.

<sup>309</sup> JANSSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni 1580, p.559.

<sup>310</sup> HIERONYMUS, *In Pentateuchum praefatio ad Desiderium*, epila 104. Parisiis 1578, t.3, col.19.

<sup>311</sup> THOMAS AQ., *In Ev Jn expositio*, c.7. Ed Vivès, t.20, p.75.

<sup>312</sup> DESIDERIUS ERASMUS, *Versio Novi Test.* c.7,38, nota. Lugduni 1705, t.6, col.371.

<sup>313</sup> JANSSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni 1580, p.559.

<sup>314</sup> RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn*, c.7. PL 169,521.

referri ad Christum recte quia pluraliter dicunt *vasa*, in hebraeo autem et in Vulgata ponitur singulariter *de cisterna tua*, id est de Christo; sicut illa verba Oseae<sup>315</sup> 11 *ex Egipto vocavi Filium meum* negat ibidem Hieronymus esse apud 70, quoniam illi pluraliter vertunt *ex Egipto vocavi filios meos*, quod ad multos refertur et non ad unicum; itaque Hieronymus, S.Thomas et Rupertus non respiciunt praecisse illa verba *deriventur fontes tui foras* in quibus procedit obiectio sed respiciunt integrum locum et eius contextum. Unde Rupertus ait illa verba *si quis sitit veniat ad Me et bibat* correspondere illis *bibe aquam de cisterna tua*, et quod hic subiungitur *flumina de ventre eius fluent*, hoc ibidem subiungi *deriventur fontes tui foras*.

16. Sed dices contextum omnino postulare ut illa verba Proverbiorum ad usum matrimonii referantur, ut ibi intelligunt Jansenius<sup>316</sup>, Vatabus, et alii, atque ita nomine *cisternae* ibi ad litteram significari uxorem, unde non videri aptum ut sensus spiritualis sit de Christo. —**Respondeo 1º**, inepte significari per uxorem Christum si consideremus illum ut Christus est. Sed si solum consideretur ratio divinae sapientiae aptissime repraesentatur studium et amor illius in uxorii honesto amore, et in matrimonio et legitimo usu illius; quid enim aptius quam si dicas studiosum adolescentem uxorem duxisse pulcherrimam, nempe Sapientiam, ad quam spiritualiter accedit quoties in eius studio delectatur, et ex ea gignit sibi carissimos filios, nempe discipulos vel fructus honestatis et sanctae spei. Non ergo abhorret ut iste sensus spiritualis subsit in illo litterali, praesertim cum in eodem libro c.8 [34] videatur sub simili metaphora dicere Sapientia *beatus homo qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei*, quasi captus desiderio fruendi meis amplexibus, *qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino*. —**Respondeo 2º**, non deesse quibus iste sensus de consequutione Sapientiae et fructu illius videatur maxime litteralis Prov 5 in illis verbis *bibe aquam de cisterna tua*, etc, quoniam a principio capitis ostendit Salomon amplectendam esse Sapientiam ut recte pieque vivatur et meretricis doli vitentur, sive meretrix proprie accipiatur sive metaphorice [**f.80**] sicut Babilon illa de qua Apoc 14,8. Recte ergo subiungit Salomon quaerendam esse satietatem in sapientia nobis celitus revelata, quam recte appellat *cisternam* quia abundantissimam continet aquae coelestis copiam ex qua invitantur homines ut sibi hauriant a Domino. Hunc certe sensum sequitur Origenes<sup>317</sup> homil.12 in Numeros, ubi etiam affert presentem locum *flumina de ventre*

<sup>315</sup> HIERONYMUS, *In Oseam*, c.11. PL 25,959.

<sup>316</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni 1580, p.9.

<sup>317</sup> ORIGENES, *In Numeros homil.12*. PG 12,656.

*eius fluent.* Idem sequitur Hieronymus<sup>318</sup>, Daniel 2, et Augustinus, 2 contra Cresconium, c.44, ubi etiam citat verba Joannis quae nunc exponimus, et eodem modo videntur exponere S.Thomas<sup>319</sup>, Rupertus<sup>320</sup>, Lyra et utraque Glossa, neque video quid prohibeat hunc sensum esse litteralissimum.

17. Praeterea lectio hebraea ut a nonnullis construitur convenit bene cum verbis Domini. Sic enim habet: *bibe aquam de cisterna tua et fluenta de medio putei tui*, id est, cura ut haurias coelestem aquam ex ea quam tibi Dominus dedit plenam cisternam, nempe ex coelesti sapientia divinitus revelata, id est, ex Christo, et erunt tibi fluenta sive flumina de medio putei tui sive fontis. Nam fons erat puteus ille de quo c.4. Itaque non construunt *et bibe fluenta* sed *bibe de cisterna, et fluenta fontis erunt tibi*; nam usitatissimum est ut verbum substantivum subaudiatur nam quod ait *bibe de cisterna et fluenta erunt tibi* est idem quod Jn 4 qui *biberit ex hac aqua fiet in eo fons*, et in presenti, *bibat et flumina de ventre eius fluent*. Ingeniose quidem sed nescio an sit optatum potius quam inventum. Certe quamvis sequamur communem constructionem, nempe *bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui*, id est *bibe aquam abundantiter fluentem ex tuo fonte vel puteo; nihilominus si supradictus sensus legitimus est, optime potuit Christus ex hoc loco citare quod ait *flumina de ventre eius fluent*, quia sequitur [Prov 5,16] *deriventur fontes tui foras et in plateis aquas tuas divide**, nam omnino videtur imperativus in eo sensu poni ut saepe solet loco futuri, quasi diceret *bibe de hoc puteo vel cisterna, et si semel biberis derivare deinceps poteris fontem quo volueris et in plateis aquas tuas dividere*, est enim eiusmodi aqua ut in bibente fiat fons. Et quod iste sit germanus sensus probatur quia alioqui non videntur bene cohaerere illae partes *bibe et divide aquas in plateis*. Adde quod si referantur verba ad usum matrimonii continere videntur absurditatem, et si per fontes derivatos et aquas divisas intelligas filios cum Jansenio<sup>321</sup>, durissima apparel metaphora.

18. —**Ultimam constructionem** sequitur Montanus et videtur ei aliquomodo favere Interlinealis, et ait eam distinctionem esse in multis libris graecis, et secundum eam Dominum omnino respicere ad locum Isaiae 55 [1] *omnes sidentes venite ad aquas*. Sed obstat communis distinctio quam non licet mutare praeterquam quod non caret alioqui scrupulis expositi, et accommodata potius videtur ad fugiendam difficultatem quam ad eam explicandam.

<sup>318</sup> HIERONYMUS, *In Danielem proph.* c.2. PL 25,523.

<sup>319</sup> THOMAS AQ., *In Ev Jn*, c.7. Ed Vivès 1876, t.20, p.75.

<sup>320</sup> RUPERTUS TUTTIENSIS, *Comment in Jn*, l.7. PL 169,521.

<sup>321</sup> JANSSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni 1580, p.559.

19. —<sup>2<sup>am</sup></sup> **constructionem** sequuntur graeci Chysostomus, Theophylactus<sup>322</sup>, Euthymius<sup>323</sup> et ut ferunt Albertus Magnus, et ex junioribus Titelmanus, Arboreus, Isidorus, Gasneius, et inclinat Caietanus. Et facile est proferre locos Scripturae in quibus postulatur fides in Messiam et credere corde perfecto, nisi similiter videretur id pertinere ad fugiendam difficultatem.

[f.80v]

20. In communi constructione sunt aliquae evasions: prima, Cajetani<sup>324</sup>, qui ait forsam Dominum citasse id ex aliquo libro canonico qui iam perierit. Sed saltem inauditum est ex libris canonicis qui tempore Christi extabant aliquem periisse.

21. Jansenius<sup>325</sup>, et favet Cyprianus libro 2 epist.3, ait non citari peculiarem locum sed indicari varia Scripturae loca quibus Deus per Prophetas praedixit incredibilem abundantiam gratiae et Spiritus, maxime sub similitudine aquae.

22. Id tamen significari quod Sacra Scriptura multis locis docet evenire iustis et sapientibus ut propter abundantiam gratiae et sapientiae instar fluminis eam effundant in alios, idem eventurum iis qui credunt in Christum. Is 48. Prov 18.

23. **Nondum erat Spiritus datus.** Graeci codices habent *nondum erat Spiritus Sanctus quia* etc. Ita legunt Chrysostomus<sup>326</sup>, Theophylactus et Euthymius<sup>327</sup>, et, si recte considerentur ita omnino legisse videntur Hieronymus<sup>328</sup> in epist. ad Edibiam q.9, et Augustinus<sup>329</sup> tract. 32 ita enim ait: *non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum, sed nondum erat in eis qui crediderant in Jesum.* Nihilominus Augustinus<sup>330</sup> libro 2 Contra Cresconium c.14 ita citat ut nos modo habemus. Unde utraque lectio videtur esse antiqua et recepta.

<sup>322</sup> THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev comment.* c.7,38. PG 123,1341.

<sup>323</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,38. PG 129,1275.

<sup>324</sup> THOMAS A VIO CAIETANUS, *Commentarii in Jn Ev*, 7,38. Lugduni 1639, t.4,p.343.

<sup>325</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni 1580, p.559.

<sup>326</sup> JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil 51 (50) in Jn.* PG 59,284.

<sup>327</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,39. PG 129,1275.

<sup>328</sup> HIERONYMUS, *Epist. ad Heditiam*, c.9. PL 22,993.

<sup>329</sup> AUGUSTINUS, *in Jn Ev. tract 32* PL 35,1644.

<sup>330</sup> AUGUSTINUS, *Contra Cresconium donatistam*, I.2, c.14.PL 43,476.

24. ***Nondum erat Spiritus datus.*** Scilicet abundanter, universaliter, sensibiliter, quia Jesus nondum erat glorificatus. (Quasi diceret: nondum erat impleta prophetia Joelis 2 [29]: ita Jansenius). Chrysostomus<sup>331</sup>, Rupertus<sup>332</sup>, Theophylactus<sup>333</sup> et Euthymius<sup>334</sup> explicant de gloria passionis iuxta id ad Hebr 5[2,9] *videmus Jesum per passionem mortis gloria et honore coronatum*. Sed intellige non de gloria in ipsa Passione sed de gloria per Passionem comparata, nempe in Resurrectione, ut ait Augustinus<sup>335</sup> et Beda<sup>336</sup>, et in Ascensione, quoniam [Ef,8] *ascendens in altum captivam duxit captitatem, dedit dona hominibus* etc.

25. ***Hic est vere propheta.*** Jansenius<sup>337</sup> notat *prophetam* poni sine articulo ut intelligatur unus ex prophetis ut c.4 *Domine ut video propheta es Tu*, verum alii notant multos codices graecos habere articulum atque omnino videntur legisse Theophylactus<sup>338</sup>, Euthymius<sup>339</sup>, Montanus.

26. ***De Bethleem castello.*** Castelli nomen quod latinis est opidum muris cinctum non adeo stricte sumitur in Sacra Scriptura sed pro vico, por una aldea, ut patet ex voce graeca Mt 9[35] *circuibat Jesus omnes civitates et castella*; Lc 10[38] *intravit Jesus in quodam castellum*; ergo eidem voci grecae respondet nomen vici in nostra lectione, ut Mc 6[36] *euntes in proximas villas et vicos*, et c.8[23] *apprehensa manu* etc.

27. ***Venerunt ergo ministri.*** Illi scilicet quos prius missos esse dixit ante diem ultimum festivitatis. Credibile enim est non statim voluisse apprehendere eum aut quia tempus oportunum expectabant aut quia Domini verbis delectabantur, ut ex eorum verbis patet. Vide Mt 6[7,29] *loquebatur sicut potestatem habens* etc. Caeterum pontifices vocat Annam et Caipham inter quos devolvebatur summum sacerdotium quod iam erat annum.

[f.81]

***Maledicti sunt.*** Quasi legem transgredientes, iuxta illud Deut 27[26] *maledictus qui non permanet in sermonibus legis.*

<sup>331</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 51.* PG 59,284.

<sup>332</sup> RUPERTUS TUTTIENSIS, *Comment in Jn*, c.7. PL 169,523.

<sup>333</sup> THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev comment.* c.7,39. PG 123,1343.

<sup>334</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,39. PG 129,1278.

<sup>335</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract 32.* PL 35,1644.

<sup>336</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expostio*, c.7. PL 92,733.

<sup>337</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni 1580, p.560.

<sup>338</sup> THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev comment.* c.6,14. PG 123,1289.

<sup>339</sup> EUTHYMUS ZIGABENUS, *Comment in Jn*, 7,40. PG 129,1278.

***Numquid lex nostra?*** Prudenter dissimulat suum studium erga Christum ne magis eos irritet. Et Montanus quidem interpraetatur Nicodemum loqui de peculiari lege circa veros et falsos prophetas; communiter tamen explicatur de communi lege circa quemlibet reum. Sed utcumque sit nulla lex in Pentatheuco explicite prohibet inauditam partem iudicare, vel condemnare, et praeterea non videtur Nicodemus loqui de legali forma iudicii quia secundum eam nondum erat lata sententia contra Christum qui nondum erat apprehensus. Non est autem iniquum quando verisimile est aliquem esse reum mortis, ante omnia decernere ut apprehendatur et postea illum iudicare, interrogare atque condemnare. Quid ergo est quod obiicit Nicodemus phariseus? Respondeo: non obiicit ullam legem de audiendo reo antequam apprehendatur sed eam solam legem quae iubet iustum iudicium iudicare, quasi diceret cur precipitatis iudicium et quasi iam habeatis Jesum Nazarenum legitime convictum decernitis eum esse falsum prophetam, et maledictos qui credunt in eum? Numquid lex nostra quae iubet rectum iudicium iudicare permittit in re adeo ambigua (ne quid amplius dicam) decernere apud vos miracula quae facit hic Homo esse falsa et eum esse mortis reum, antequam ab ipso sincere audire velitis quid habeat in sui defensione?

***Numquid et tu galilaeus es.*** Augustinus<sup>340</sup> et post eum plerique intelligunt hoc per ignominiam dictum esse appellando galilaeum eum qui discipulum Jesu Galilaei notare volebant. Nam et Julianus Christum atque christianos vocabat galilaeos. Titelmanus atque Jansenius<sup>341</sup> non probant hunc sensum eo quod in graeco non sit *galilaeus* sed *ex Galilaea*, atque ita credunt non per obiectionem sed per reprehensionem dictum esse. Esne tu galilaeus ut favere velis homini galilaeo. Quasi diceret, pues que no sois galileo no le favorezcáis. Utraque certe expositio probabilis est. Aut fortasse obiiciunt Nicodemo eum videri oriundum ex Galilaea quandoquidem non deditur prophetam existimare eum quem novit esse galilaeum.

***Scrutare.*** (Si se ha de leer Scripturas.)

***Non surgit o surrexit.***

Lyra ait falsum esse quod aiunt pharisaei, quia Debora, Elisaeus, et Tobias fuerunt galilaei. Sed Respondeo eos non recepisse Tobiam. (Y que Debora potius videtur non fuisse ex Galilaea sed ad Samariam, est enim in sorte dimidiae tribu Manasse quae erat citra Jordanem, ut ait Montanus.)

Antes es el sentido *ex Galilaea propheta*, id est Messias non surgit porque, dicen, nemo credit in eum, id est, tanquam in Messiam.

[f.82]

<sup>340</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract* 33. PL 35,1648.

<sup>341</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.75. Lugduni,1580, p.562.

C.8, lectio 1<sup>a</sup>

1. Primum, hic occurrit quaestio an haec historia mulieris adulterae sit canonica et ex ipso Joannis textu. Et non videtur,

—1º, quia nullus graecorum interpretum eam exponit nisi solus Euthymius et ille ait in exactioribus exemplaribus aut non inveniri aut obelo confosam esse eo quod illegitima videatur et addita, et huius argumentum esse quod nullus eam sit interpraetatus, et subdit Euthymius se nihilominus interpraetari eo quod utilitate non caret.

—2º, ex homilia 51 Chrysostomi<sup>342</sup> constat non solum non reperi apud Chrysostomum huius historiae expositionem sed etiam illum continuare illa verba capituli septimi *scrutare et vide quia a Galilaea propheta non surgit cum illis quae habentur c.8 dixit ergo eis iterum Jesus ego sum lux mundi*, nam et connexionis rationem reddit, et Chrysostomum sequitur Theophylactus<sup>343</sup>.

—3. Eusebius lib.3, c.33 fine, videtur hanc historiam tribuere Papiae, Joannis presbiteri discipulo, ex Evangelio secundum hebreos et Eusebii quidem verba refert in hunc modum Sixtus Senensis<sup>344</sup> libro 7, haeresi 5, obiectione 4, nempe *Papias historiam quandam subiungit de muliere adultera quae accusata est a iudeis apud Dominum; habetur autem in Evangelio quod dicitur secundum Hebreos ista parabola*. Et quamvis Sixtus ibi bene probet non esse idem Evangelium secundum Hebreos cui haec historia tribuitur et illud quod Epiphanius libro 2, haeresi 46 tribuit Tatiano haeretico, constat tamen utrumque evangelium esse apocryphum et ipse Sixtus<sup>345</sup> fatetur lib.1, ubi de secundo ordine scripturarum Novi Testamenti §3, quosdam ex veteribus sensisse desumptam fuisse historiam hanc ex evangelio apocripho.

—4º, Hieronymus<sup>346</sup>, libro 2 Contra pelagianos c.6 fine ait: *in Evangelium secundum Joannem in multis et graecis et latinis codicibus invenitur de adultera muliere quae accusata est apud Dominum*.

—5º, Cajetanus<sup>347</sup> hic suspicatur non esse canonicam et fortasse perturbare ordinem narrationis.

—6º, Erasmus<sup>348</sup> et Jansenius<sup>349</sup> videntur dubitare an certum sit hanc historiam ab ipso Joanne scriptam esse vel aliunde desumptam.

<sup>342</sup> JOHANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil 52(51)*. PG 59,289.

<sup>343</sup> THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev comment. c.8*. PG 124,10.

<sup>344</sup> SIXTUS SENENSI, O.P., *Bibliot. Sancta*, l.7,c.5. 1576, pp.647,649.

<sup>345</sup> ID. *Ibid. Libro 1, Pars prior octavi capituli ev. Jn*. p.29.

<sup>346</sup> HIERONYMUS, *Dialogus contra Pelagianos*, l.2. PL 23,579.

<sup>347</sup> THOMAS A VIO CAIETANUS, *Commentarii in Jn Ev*, c.8. Lugduni 1639, p.345.

<sup>348</sup> DESIDERIUS ERASMUS, *Versio Novi Test. Jn c.8,I, nota*. Lugduni 1705, t.6, col.373.

<sup>349</sup> JANSENS, *In Concordiam*, c.76. Lugduni 1580, p.562.

—7º, Sixtus<sup>350</sup>, libro 1 fatetur hanc historiam aliquando non fuisse receptam ab Ecclesia ut partem Evangelii Joannis neque ut canonicam.

**2. Dico 1º** de fide esse hanc historiam esse canonicam ut patet ex Tridentino sessione 4.

**Dico 2º** non posse dubitari an Joannes sit eius auctor, quia ab Ecclesia proponitur fidelibus ut pars Evangelii secundum Joannem et sub eo nomine citatur a Hieronymo<sup>351</sup>, Augustino<sup>352</sup>, Ambrosio et aliis Patribus, de quo postea.

**Dico 3º** olim quidem desideratam fuisse in multis codicibus sed nihilominus persuasum semper fuisse Patribus eam esse canonicam, et probatur quia ipse Hieronymus qui fatetur eam non esse in omnibus codicibus, nihilominus ex illa vult ibi haereticum convincere, et alibi etiam citat eam ut Sacram Scripturam, nempe Ps 44 super illud propter veritatem et mansuetudinem. Praeterea ipse Chrysostomus qui eam hic in suo codice [f.82v] non legebat, nihilominus ut canonicam eam postea refert homilia 60 inter alias Sacrae Scripturae historias. Praeterea hoc eodem loco ponit eam D. Athanasius<sup>353</sup> in synopsis, Augustinus<sup>354</sup> et omnes latini. Praeterea D. Ambrosius epist. 56 et 76 ut divinum eloquium eam interpraetatur et ait semper decantatam fuisse quaestionem et celebrem absolutionem eius mulieris quae in Evangelio secundum Joannem adulterii rea oblata Christo est. Praeterea Sedulius inter alias evangelicas narrationes eam versibus expresit tempore Theodosii. Praeterea Idacius Clarus, Hispanus, antiquus auctor eodem modo suscipit eam in libro contra Varimandum arianum qui habetur tomo 5 Bibliothecae, f.430 C.

**Dico 4º**, non esse improbabile quod Erasmus<sup>355</sup> et Jansenius<sup>356</sup> suspectantur, nimirum prius Joannem non scrisisse et postea addidisse et hinc fuisse ortam codicum varietatem, quia quamvis hoc aliquibus stomachum moveat quasi hac ratione detrahatur sacrorum librorum auctoritati in quibus aiunt ne unus apex scriptus est neque deest nisi ex divino praecepto et impulsu atque ita nihil posse de novo addi quia Spiritus Sanctus non mutat consilium, nihilominus Spiritus Sanctus potuit velle ut prius non scriberetur et postea adderetur, sive ut de novo aliquid postea revelaret Ecclesiae sive ut haec

<sup>350</sup> SIXTUS SENENSIS, O.P., *Bibliotheca Sancta*, 1.1. Venetiis 1566, p. 38.

<sup>351</sup> Id., *Ibid.*

<sup>352</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract* 33. PL 35,1648.

<sup>353</sup> ATHANASIUS, *Synopsis Scripturae Sacrae*, 1.4 NT. PG 28,402.

<sup>354</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract*.33. PL 35,1643.

<sup>355</sup> DESIDERII ERASMI, *Versio Novi Test. Jn c.8,1, nota*. Lugduni 1705, t.6, col. 373.

<sup>356</sup> JANSENS, *In Concordiam* c.76. Lugduni 1580, p.562.

singularis historia maioris esset in pretio (como un punto que de industria se guardó para otro día de porfía), sive propter aliquam aliam convenientem et occultam rationem.

**Dico 5º**, fortasse etiam non esse improbabile hanc historiam non fuisse a Joanne in scriptis traditam sed solum narratione designata sui evangelii parte in qua locum habebat, et postea a fidelibus iisdem verbis fuisse in suis codicibus a multis addita et ab Ecclesia ut Sacram Scripturam receptam, licet videas in multis codicibus desiderari

**3. Ad argumenta.** —Ad 1<sup>um</sup> dico deceptum fuisse Euthymium. —Ad 2<sup>um</sup>, ex dictis patet solutio. —Ad 3<sup>um</sup> dico fortasse Sixtum incidisse in codicem Eusebii depravatum, quia editio quam ego vidi aliter habet et consentit omnino cum textu graeco ex editione Roberti Stephani cuius verba sunt: ἐκτέθειται δέ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἀμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τῷ κυρίῳ, ἥν τὸ καθεβραίους εὐαγγέλιον περιέχει, id est, ad verbum: exponit autem Papias et aliam historiam mulieris de multis peccatis accusatae apud Dominum quam secundum hebraeos evangelium continet. Unde non videtur esse eadem historia quam pre manibus habemus et illa cuius meminit Eusebius, sed interpres aliquis cum errore putaret esse eandem non valde attendit ad ipsa Eusebii verba nisi quis dicat malitiose addidisse de suo parabolae nomen, deceptus est Sixtus dum ait quosdam ex veteribus sensisse desumptam fuisse historiam ex evangelio apocripho, nam alludit ad verba Eusebii perperam citata. Adde quod quamvis Eusebius diceret hanc historiam reperiri in Papia et in evangelio secundum hebraeos, non tamen propterea sequebatur eam non inveniri in vero Evangelio Joannis et assumptam fuisse ex Papia vel ex evangelio apocripho, quasi vero non posint verum et apocriphum evangelium in aliqua histaoria convenire. —Ad 4<sup>um</sup>, iam supra patet. —Ad 5<sup>um</sup>, erravit Cajetanus, et contra eum late Catarinus, libro 3. Quod vero attinet ad contextum Caterinus retorquet argumentum contra Cajetanum et putat se ex ipso contextu optime argumentari; verum non video cur utrovis modo non bene cohaereat narratio. Praesertim cum illa verba: *et reversi sunt unusquisque in domum suam* desiderentur in codicibus ubi deest historia adulterae. —Ad 6<sup>um</sup> iam supra respondi. —Ad 7<sup>um</sup> existimo [f.83] Sixtum deceptum esse quia ex quo primum tradita est a Joanne haec historia non potest ostendi tempus in quo non fuerit ut canonica recepta. Neque unius aut alterius auctoris dubitatio commune Ecclesiae iudicium infirmat.

**4. Moises mandavit huiusmodi lapidare.** Dubitatur ubi sanciatur haec pena contra adulteram. Omnes hic citant Levit 20,10 et Deut 22,22. Sed uterque locus, licet poenam mortis statuant non praecipit distincte genus mortis. Abulensis Levit 20, q.3 credit lapidationem quae propter aliud crimen

decernitur in principio capitis extendendam esse ad adulteros, et iudeos ipsos ait ita modo interpraetari apud quos consuetudo videtur esse legis interpres, et confirmat quia Danielis 13

[45] Susana lapidanda perducebatur tanquam adultera, et quia Deut 22,23 puella uni desponsata et cum altera inventa iubetur lapidari; ergo similiter intelligenda erat lex quae iubebat in genere adulteros mortis poena subire. Quod si cui videatur non satis probare istae rationes et potuisse in adulteros iuxta legem quocumque aliud genus mortis decerni, forsam aiunt Moisem mandasse huiusmodi lapidare quia haec adultera quae ad Christum adducta est non erat proprie nupta sed sponsa atque adeo contra illam erat lata sententia Deut 22,23, et nihilominus merito appellatur adultera propter sponsalia, praeterquam quod adulterii nomen non adeo stricte semper accipitur, nam aliquando μοιχεύω significat virginem stuprare apud Lucianum, et lex julia confundit nomina stupri et adulterii ut patet in thesauro graeco atque latino.

**5. *Digitō scribebat in terra.*** Dubitatur quid et cur scripserit. Hieronymus, 2 Contra pelagianos<sup>357</sup> videtur dicere Christum scripsisse in terra omnium peccata mortalium et praesertim eorum qui aderant. Hieronymum sequuntur Lyra et alii. Ambrosius, eptla 56 ait quid scribebat nisi illud propheticum scribe hos viros abdicatos quod de Jechonia dicitur Ier 22[28], et eptla 76 significat Christum scripsisse illa verba *festucam quae est in oculo fratris tui vides trabem autem in oculo tuo non consideras*. Sed credo Hieronymum et Ambrosium non voluisse dicere quid Christus scripserit sed quid scribendo significaverit, et similiter Augustinus<sup>358</sup>, libro 3 De consensu evangelistarum, c. ultimo, et plerique post eum (Rabanus et alii) qui adducunt illud Ier 17[13] *recedentes a Te in terra scribentur*. Vide alias misticas rationes in Augustino<sup>359</sup> hic et in Beda<sup>360</sup>. (Que Cristo era el autor de una ley que se escribía en tierra, que había de fructificar, que se ha de examinar la conciencia.) Beda et S.Thomas<sup>361</sup> aiunt Christum scripsisse *eadem verba quae protulit: qui sine peccato est vestrum primus in illam* etc. Euthymius ait eos qui respondere nolunt importuna, indigna rogantibus solere alio vultum convertere et vel scribere vel aliquid aliud agere significantes se nolle attendere iis quae dicuntur atque id Dominum fecisse. Hanc explicationem sequuntur Montanus et Jansenius<sup>362</sup>, sed addunt ostendisse Christum non ad

<sup>357</sup> HIERONYMUS, 2 *Contra pelagianos*, PL 23,579.

<sup>358</sup> AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, 1.3, c.10. PL 34,1225.

<sup>359</sup> AUGUSTINUS, *In Jn Ev tract.33*. PL35,1649.

<sup>360</sup> VENERABILIS BEDA, *In Jn Ev expositio*, c.8. PL 92,736.

<sup>361</sup> THOMAS AQ., *In Ev Jn*, c.8. Ed. Vivès 1876, t.20, p.82.

<sup>362</sup> JANSENS, *In Concordiam* c.76. Lugduni 1580, p.563.

se pertinere illud iudicium, ut in nonnullis codicibus graecis legitur digito scribebat in terra *non sibi vindicans*, scilicet iudicium illud. Unde secundum hos auctores videtur Dominus non scripsisse aliquid significativum.

6. Sed mihi hoc plane non satifacit: Primo, quia adeo notabilis et peculiaris gestus et actio, nempe inclinatio Domini coram tanta multitudine et singularis ille scribendi modus satis videtur ostendere aliquid amplius Dominum significare voluisse quam se aliud agere; ad hoc enim in prontu erat alio convertere faciem et cum discipulis alia de re loqui vel etc. Deinde, quia Christus omnino id egit quod erat optimum undequaque, at vero scribere et nihil certum scribere eius est cui nihil occurrit quod scribat, et procul dubio melius esset si aliquid occurreret quod esset valde ad rem et haberet maiorem significantiam. Praeterea ista explicatio Jansenii [**f.83v**] non relinquit locum communi sanctorum meditationi, nempe Hieronymi, Ambrosii, Augustini et aliorum qui omnes adducunt illud Ier [17,13] *recedentes a Te in terra scribentur*; quasi factum Domini cum dicto prophetae concordet. Et denique negari non potest quin si probabiliter aliquis ostendere posset quod Dominus scripserit, ille magis placeret, quia illud est proculdubio quod omnes optamus, sed quia hactenus nihil occurrit maluerunt Euthymius et iuniores misterium tollere quam divinare.

7. Sine divinatione tamen, nisi fallor, ego in ipsomet textu mihi videtur invenire quod Dominus scripserit atque ita suspicor intellectum fuisse a Patribus, quia id apparet tum simplicissimum tum etiam aptissimum ad eorum mysteria.

**Dico** ergo Dominum, cum accusatores ream ad illum adducerent tanquam ad iudicem, mira quadam ratione id egisse quod iudices solent nempe accusationem in scriptis excipere per se vel per alium, quae scriptura hoc in summa continet, nempe fulano y fulano acusan a fulana de tal crimen. Et probatur quia si quis dicat que acudió fulano al juez y denunció de tal cosa y el juez tomó la pluma y escribió, etiam si non explicetur amplius quod scripserit omnino tamen intelligitur nihil aliud scripsisse nisi denuntiationem illam. Ergo similiter cum dicantur scribae et pharisaei accesisse ad Dominum tanquam ad iudicem et accusasse adulteram atque illum scripsisse, omnino intelligendum est scripsisse accusationem. Neque opus erat ut hoc Evangelista magis explicaret. Si vero Christus scripsisset aliquid aliud aut solum formasset caracteres non significantes, videretur Evangelista inchoatam reliquisse narrationem eo praetermisso unde pendet historiae ponderatio et quod statim sollicitat animum legentis, nam ignorata scripturae sententia inanis est misterii meditatio. (Defervet saevitio, intus

tremente conscientia, neque solum hoc sed etiam se quisque ex conspectu Domini subripere conatus est.)

8. Sunt tamen qui velint ex Evangelio colligere quod Dominus scripserit accusantium peccata, quia alioqui cur alias post alium abire. Verum illos non propter scripturam abiisse satis videtur ex eo constare quod scribente Domino adhuc illi perseverabant interrogantes eum; praeterquam quod si scriptura Domini contineret eorum peccata non erat cur Evangelista rem adeo notabilem sileret.

9. Sed veniamus ad nostrae explicationis misteria. —**Dico 1º:** cum iudicium Christo Domino deferretur illum mirabili modo designasse quanam ratione sit ipse iudex, nam iudicis est excipere accusationem sed literis atramento scriptis excipit ille qui iudicat in foro exteriori secundum allegata et probata atque adeo non potest reum absolvere; qui vero ita excipit ut sibi solum scribat oportet ut supremam habeat potestatem et nulli teneatur rationem reddere et posit pro libito damnare vel absolvere. Et quidem huius divini iudicii videmus in terra veluti iudicem scribentem, nam multa sunt quae indicant veluti in fieri nostrarum causarum summam, sed cum non maneat expressus causae processus, vix haec divina iudicia percipiunt homines nisi magnam adhibeant attentionem: et quid tandem in facto esse maneat scriptum, quis sit [**f.84**] nostrarum causarum exitus, solus bene novit ipse qui iudicat, nec enim manet in terra causa scripta. Pro quo suppono *in terra* id est in solo templi, quod erat marmoreo strato lapide non mansisse scripturae vestigium; nam quod quidam aiunt fortasse mansisse in pulvere super lapides non est verisimile tantum pulveris in templo solitum esse relinqui.

10. —**Dico 2º,** eo ipso gestu et actione non sine sale Dominum declinasse iudicium, quasi diceret: sumne Ego iudex? Quorums a Merequiritis sententiam? Si enim similis causa ad virum aliquem gravem atque clementem deferatur et approbatio severitatis ab eo exigatur et ipse omnino vellet neque excusare neque damnare ream, aptissime posset faceta quadam gravitate eos irridere qui ab eo extorquere volunt iudicium et per modestam irrisionem quasi iudicis personam usurpare dicendo: quandoquidem me iudicem constituitis et alium ad manum non habeo qui causam excipiat neque calatum et atramentum, volo ipse qua ratione licet scribere, nempe digito super tabulam, neque enim de repente proferenda est antequam res examinetur et perpendatur. Hanc intentionem Domini fuisse videntur pharisaei bene intellexisse, et propterea instasse interrogantes quasi obsecrantes ut non per risum expediret se ab eis sed ut serio diceret suam sententiam. Et cum perseverarent interrogantes